

Faint, illegible handwritten text, possibly a title or author's name.



In hoc libro continetur

- I. Apologiam Formula Concord.
- II. Refutationem Historiae Perucinae de
Sententia Philippi Melanct. de s. Coena.
- III. Apologiam Georgij Myli ad versus
Criminationes Hofmanni.

6f

Sammelband

31

Descriptio Cabrinista

Beschreibung eines Cabrinisten, welcher
in der Christlichen Kirche selber gestalt (wie
D. Selmeccus in seinem Examine schreibt)

SACRAMENTALIS est homo nec credens, nec
confidens Deo, & Verbo eius: inflatus opinione sancti-
tatis, sapientiae, & eruditionis peculiatis & eximia:
contumax & calumnians omnes non euntis misen-
tentiam suam: eripens Christo homini maiestatem di-
vinam, & eum cognans, vel gradibus carnis praefereus
angelis & beatis hominibus: negans omnipotentiam &
Veritatem Christi, & subinde patreficiens aditum ad Ne-
storianismum, Arianismum, Mahometismum & Ethni-
cismum: deliciens Magistratum & alios, ac pessundas
se & suos in Exitium corporis, Vitae & animae. Replens
regna, principatus, & civitates simultatibus, seditioni-
bus, odijs, bellis, lamienis: Salutare concordiam ubiq;
destruens: clam & insidiosè agens plerumq; faciem fa-
ciens simplicioribus: negans se esse, qui est; affir-
mans se non esse, qui est: mutans sententiam ad

auram: in nitens brachio mundano, & carni
mundi, non carni christi, & observans occasiones
clabendi, & rursus emergendi.

3K 2126 3



APOLOGETICVS
GEORGII MYLII D. ET
PROFESSORIS IENENSIS,

*Adversus ea, quibus fides & doctrina eius sædis
criminationibus impugnatur, in*

DANIELIS HOFMANNI D. ET
PROFESSORIS HELMSTADIANI

*ἑηλιτθικῆ, scripta quidem ad ministros Hallenses:
sed more suo ita sparsa, ut in manus Calvinistarum
perlata, nuper Servestæ (ut fert fama publica) in
contumeliam Ecclesiarum, Formulam
Concordiæ approbantium, typis
evulgata sit:*

*Ad disputandum publicè propositus. In qua disputati-
one sub ipsius auctoris presidio, exercitii
causa, respondebit*

M. ARNOLDVS STAPPENBECCIUS
Stralesfundensis Saxo: Et
M. NICOLAUS REBHAN
Francus.

*Die 20. & 21. Octobris. Ille quidem die priori, de
duobus primis: hic autem posteriori, de se-
quentibus in hac materia ca-
pitibus.*

I E N A E
TYPIS TOBIAE STEINMANNI
Anno cl3 13 III C.



3



REVERENDIS ET CLARISSIMIS VIRIS,
 Prae eruditione & erudita pietate gravissimis, Dominis Do-
 ctoribus, & Magistris, in celeberrimis Academiis Rostochiãa,
 Francofortensi ad Viadrum, Regiomontana in Borussia,
 Gryphiswaldensi in Pomerania, Professoribus, & Ecclesiarũ
 per universam Saxoniam, præcipuè in celeberrimis Rebus pub.
 Brunsvicensi, Lubecensi, Hamburgensi, Lunaburgensi, Hil-
 desiana, VVismariensi, Gotingensi, Magdeburgica, Hallensi,
 Einbeccensi, Mulhusina, Hannoverana, Hamelensi, Steitt-
 xensi, Stralsundensi finitimisq; reliquis, Formulam Concor-
 diae ymnosicos amplexantibus, Superintendentibus, Pa-
 storibus & Ministris, amicis & fratribus in
 Christo semper honorandis,

S. P.

Gen. I 6,

12.



T. 10 Vi
 reb. f.
 344. b.

DE ISMAELE refert sacra historia, viri fratres cha-
 rissimi, fuisse eum hominem ferum, cujus manus
 contra omnes, & manus omnium contra eum, qui-
 que ex adverso universorum fratrum suorum fixe-
 rit tabernacula. Quibus verbis Lutherus talem notari homi-
 nem scribit, qui nulli curæ sibi esse sit passurus leges & statuta,
 quæ conservandæ paci publicæ & disciplinæ necessariò servi-
 ant.

Tulit hoc nostro seculo ejusdem ingenii hominem Aca-
 demia Helmstadiana, DANIELEM HOFMANNVM Pro-
 fessorem Theologum. Qui cum ab ingenii dotibus atq; eru-
 ditione Theologica satis paratus & instructus esset, ad res su-
 as cum laude domi peragendas; hætenus ἀλλοτριῶν ἀποπικτιν, &
 non tantum factorum alienorum foris censor esse rigidus: sed
 & scriptorum dictorumq; Aristarchus esse maluit, qui nemini
 non obeliscos figeret, & censuræ suæ flagello optimos etiam
 quosq; & de Ecclesia religioneq; rectissimè meritos, tum vi-
 vos, tum mortuos proscinderet. Testis est beata anima Bren-
 tii, quid flagrorum ab isto homine sanctissimus hic confessor
 annis bene multis pertulerit. Sunt in conspectu Christi gemitus &

tus & querelæ, quas Iacobo Andrea, Theologo *πικρῶν ἀνταξίῳ*
ἑλλῶν, insatiabilis Theologi istius ambitio, & altercandilibido
 excussit. Revelabit dies novissimus, quid Theologorum lu-
 mini illi D. Chemnicio, quid venerando Selneccero, molesti-
 arum & ærumnarum ab eodem creatum fuerit. Si defunctorum
 loco sint audiendi vivi, habebit quod venerandus senex
 D. D. Chytræus cum collegis suis de hominis istius turbulen-
 tia conqueratur. Non deerit Theologo insigni Osiandro, cum
 universo Theologorum V Virtembergensium cætu, unde ho-
 mini isti acerbissimarum injuriarum dicam scribere possit.
 De virulentia ejusdem narrabit multa D. Polycarpus Leiser⁹.
 De insectationibus gravissimis commentarium scribet D.
 Hunnius, quas ab eodem homine vir optimus perpeffus est.
 Latere patior reliquos, qui non homini: sed Ecclesiæ parcunt,
 dum, quæ ab isto tolerant, cum silentio & patientia hæctenus
 dissimulant. In quorum numero ego quoq; hucusq; potui no-
 men profiteri meum, quæ ab Hofmanno flagellatus mirificè
 integro jam ferè septennio, sic animum meum obfirmavi ad
 patientiam & silentium, ut ne quid ex innotescente Theolo-
 gorum dissidio, Ecclesia pateretur scandali, quidvis etiam
 mihi ab isto homine patiendum esse existimârim, cujus non
 novissent tantum: sed odissent etiam mores, Theologi sanio-
 res penè universi. Et ut quod res est, fatear; hausi ex hac ipsa
 afflictione interdum consolationis argumentum, ut in eo po-
 situm esse sinceritatis meæ testimoniū putarem, quia isti vi-
 ro displicerem, cui vix unquam displiceret, nisi optimus quis-
 que: præcipuè, cum quid isti in me juris esset, aut qua mea in-
 juria laesisset esset, vel cui denique in Ecclesia bono esse pos-
 set, quam in me exercuit, flagellatio, nuspiam dispicerem.
 Florebat magnoperè superioribus annis, cum Calvinismo
 quaqua versum in Misnia scaterent omnia, Academia nostra
 Salana, eratque in eo flore aliqua etiam mea existimatio. In-
 de viro isti tantus livor est obortus, ut ne in publicis quidem
 lectionibus mihi posset parcere, quin nomen meum acriter
 perfringeret. Dissimulavi.

Cum doctrinam de Majestate hominis Christi A. 91. au-
 ditoribus meis modestè proposuissem: Hofmannus dictati-
 ones meas per emissarios suos acceptas, exagitavit, rursusque

A 2

ador-

adornato scripto, cui titulum fecit, Admonitio D. Danielis Hofmanni contra sententiam de Ubiquitate Ienæ latam & promulgatam à D. Georgio Mylio, eodemque inter auditores suos sparso, acerbè satis me suggillavit. Devoravi molestiam. Annus jam agitur sextus, ex quo repurgandæ à Calvinismo Ecclesiæ Vuitebergensi ab Illustrissimo meo Magistratu clementissimè fui adhibitus. Id factum, se præterito, tam indigne tulit Hofmannus, ut inimicitias Ubiquitistæ isti (refero *àvraux* testis verba) perennes juraverit. Tuli. Paucis antè mensibus Helmstadium transieram, quo loco pe-notanti Rector Academicus honoris mihi aliquid exhibiturus erat, quod fieri Hofmanno obstante non potuit, qui Suevicæ Theologiæ asseclam honore isto indignum esse asseruit. Toleravi. Cum V Vitebergæ non inter labores magis, quàm pericula versarer, quæ mihi quotidiana ferè parabantur à Calvinianis fecibus, quorum ego abominanda dogmata, concionibus publicis refutabam: conticescentib. adversariis, Hofmannus prodiit, qui conciones meas typis evulgatas, obeliscis dirissimis notavit, congesto scripto, eodemque more suo inter discipulos sparso, cui titulum fecit, **Trewberzige Erinnerung von etlichen verenderungen der reinen Lehr Herrn Lutheri vund der Sächsischen Kirchen.** In quo scripto teterrimarum hæreseō, Pelagianæ, Schvvenckfeldianæ, Osiandricæ, Antinomicæ, me reum peregit, idque inter prima ipsa reformandæ Ecclesiæ Vitebergensis initia. Sustinui. Flagitârat A. 93. illustris & generosus Comes, V Wilhelmus Schvvarzeburgius operam meam, & nonnullorum aliorum Theologorum in dijudicando dissidio, quod Franckenhusanæ Ecclesiæ Pastori & Superintendenti Ioanni Schlairio, Calvinismi manifesti publicè plurimis testimoniis convicto, cum diaconis duobus, rectè de religione sentientibus, intercesserat. Huius ab officio per Comitem generosum remoti Schlairi patrociniò D. Hofmannus suscepto, prolixam ad Comitem dictum Epistolam expediit, in qua remoti ab officio pastoris culpam omnem in me coniecit, eidemq; finceritatis & *op. doctias* perhibito testimonio, Mylium veteratorem, fanaticum hominem, Lutheranæ doctrinæ depravatorem,

torē, persecutorem innocentum, Suevicæ Theologiæ affectum
clam nuncupatum, tantum non conviciis rotum adobruit.
In vindicanda injuria tanta me etiam repressi. Sparsa sunt
aliis etiam temporibus nonnulla ejusdem scripta, tum Lati-
na, tum Germanica, quæ ab amicis mihi communicata, ho-
stilis & acerbi erga me animi, ab isto homine fuerunt mihi
nuntia. Et possum sanctè testari, graviores insectationes,
quæ stylo quidem, non pilo fieri possunt, non me passum esse
esse hætenus vel à Jesuitis & Pontificiis reliquis: vel à Calvi-
nistis, quorum utrorumque libidini & atrocitati mediocriter
tamen fui obnoxius, quàm septennio proximo ab Hofman-
no ptuli. Tacui & me continui. Contigit A. 94. ut ad me ab-
legatis ex vicinia duob. ecclesiæ Rutenicæ ministris, olim suis
discipulis, plurimorum errorum capita mihi proponi cura-
ret, quorum illi me jussu dictatūque ipsius ex scriptis meis
convincerent. Respondi modestè, objectaque omnia lucu-
lenter dilui, cumque ille præclaram sibi ex legatione ista vi-
ctoriam polliceretur, divinæ gratiæ beneficio id obtinui, ut
legatum utrumque haberem mihi ὁμολογησέων. Qua de re ne
vanè gloriari magis, quàm verè testari videar, literarum ea-
rum, quas alter ad amicum postea scripsit, partem hîc inserā,
quæ ex αὐτογράφῳ, quod penes me est, sic habet: Quarto
Calendarum Junii, Ienæ cum R. & Clariss. viro D. Mylio ver-
ba commutavimus à sexta usq; ad undecimam, de negotio,
quod nonnullis in hoc Dominatu D. Daniel Hofmannus
Helmstadianus Theologus facessivit, ubi in primis in contro-
versiam venerunt ea, quæ in cartam conjecta nobis fuerant.
Verum omnia ea argumenta ex arena contexta jamdudum
in pulverem nugarum disperferat Mylius in Apologia scripta
ad Comitem Schuuarzeburgium ob negocium Franckenhu-
fanum, contra scriptum ab Helmstadianis Theologis ador-
natum, cui omnes hæc objectiunculæ immixtæ erant. In hoc
colloquio tam evidens singularis humanitatis, pietatis & e-
ruditionis specimen edidit D. Mylius, ut in illius laudibus e-
narrandis non videam, unde exordiri debeam. Ad argumen-
ta proposita tam solidè, tamq; nervosè respondit, ut unicuiq;
integra mente adhuc utenti ad sensum pateat, Hofmannum
nodum in scirpo quæsisisse.

Hæc ille de colloquio & legatione ista. Sperabam hac re per-
acta, deinceps æquiore me usurum esse D. Hofmanno. Verùm
ille contigisse sibi videns, quod usu venerat sacerdotibus &
Pharisæis Ioan. 7. legatione servorum ad Christum facta, in
gravius odium subinde conversus fuit. Quod nuper eò ul-
que exarsit, ut scripto gemino ad Illustriss. Proelectorem Sa-
xoniæ &c. Dominum meum clementissimum superiori anno
misso, non fortunarum tantum, & honoris: sed salutis etiam
periculum creare mihi per intentata gravissimarum hæresiū
crimina, conatus fuerit. Post hæc omnia tandem prodit hæc
ad Hallenses fratres epistola, eaque scripta Germanicè, quò
possit plebeijs etiam hominibus turbandis commodior esse:
nec ab ipso met, sed à Calvinistis edita, ut Ecclesiæ vulneran-
dæ majus sit periculum. Prodit autè neq; autore ipso operam
suam recognoscente, aut factum Calvinistarum improbante;
neq; fratribus Hallensibus suppressi hæcenus scripti aut alia-
rum rerum causam vel privatim, vel publicè exponentibus,
idque elapso jam semestri integro. In qua, quamvis auctori id
evenisse deprehendo, quod Poeta scribit, ut Amphora cepit
Dum fieri, currente rota tandem urceus exierit, hoc est, scri-
pto, quod insectandum sibi sumpsit, omisso, in VVirtember-
gicos Theologos flagellationis faba tandem cusa sit: quia ta-
mèn in his, in quibus personæ nominatim perstringuntur,
præter D. Hunnium, cui suarum partium defensionem in so-
lidum relinquo, mihi præcipua gravissimorum errorum &
depravationum dica scribitur: rumpendum tandem est silen-
tium, & non tam in famæ, quàm fidei ipsius assertione, solven-
da est patientia, quam non dubito, quin adeò non sint erga
maledicum istum hominem, religionis nostræ socii & fratres
in Christo à me desideraturi amplius, ut metuum, ne de im-
modicæ patientiæ deprecatione potius mihi cogitandum sit,
quàm Apologetici tandem suscepti excusatione. Prodiit nu-
per Officina ejus Theologica in publicum, scorijs & sordibus
errorum ita plena, ut lerna, quàm officina, commodius ap-
pellari queat. In ea repurganda, sat illi erat, quod domi a-
geret. Quod si ex ipsius ingenio & moribus liberet etiam
nobis agere, Christe bone, quàm ampla esset nobis in hoc
scripto

scripto oblata materia, ut strigili potius, quam scopis, aut virgula censoria opus sit futurum. Sed absit a nobis ingenium hoc Hofmannicum. Fateor autem, magno partem nostram a Calvinistis, quicumque illi tandem sint, affectam esse beneficio, qui non tantum D. Hofmanni *σηλυτευτικὸν*: sed nostram etiam Latinam epistolam typis excusam eodem volumine voluerunt. Nam ex illa constat non tantum, quam facili (poteram fortasse levi dicere) occasione D. Hofmannus nos sit adortus: sed quanta etiam spiritus atque animorum dissimilitudine. Nam nostra certe epistola, quemadmodum obiter etiam legenti cuivis patet, nihil spirat prater lenitatem & mansuetudinem fraternam, Ecclesiae vulnera sanandi potius, quam refricandi studium, & concordiae cum ipso firmandae, aut tolerationis certe sanciendae desiderium. Quae quod ad ipsum non est missa, non consilii semel capti poenitudo effecit: sed turbarum domi in causa Huberiana ortarum infelicitas impediit. De Hofmanni scripto iudicabunt pii omnes tum maxime, postquam D. Hunnii, quem expectamus, & meum hunc, quem exhibeo, Apologeticum legerint. Praecipue ad iudicia vestra, fratres & amici dilectissimi, hoc apologetico ego appello, censurae vestrae dijudicationem causae hujus omnem defero, vosque omnes & singulos per vulnera Christi rogatos volo, si quam in me haeresinprehendistis haecenus, aut errorem in scriptis meis notastis, cum deposito doctrinae Lutheranae, & Augustanae Confessionis ac Formulae Concordiae symbolo pugnantem, pro quo utroque ego (sit laus Christo meo) haecenus non semel tum adversus Pontificios, tum contra Calvinistas etiam ad sanguinem usque depugnando restiti, & ne ignem quidem reformidavi, cujus forte fumum Aristarchus meus nondum est periclitatus: de eo me fraterne & placide admonetis. Percutiat me justus placide, & obijuret me, hoc erit oleum capitis capiti meo. Tam enim Ecclesiae, quam Christo ipsi fidem meam nisi ego probare queam, & ut id possim, pie elaborem, infelix vita mea futura esset, perierit mihi opera omnis, quam per Dei gratiam in plantanda Ecclesia Christi ego haecenus posui.

posui. Quod tamen quàm utiliter factum sit, cum res ipsa
sit, quæ satis loquitur, de eo porò non est opus, nisi ut ad
Christi testimonium provocem. Cui vos omnes, vestrasque
operas & labores sanctissimos commendo, & ut, quod faci-
tis, facere pergatis, hoc est, amare me amantem vestri nun-
quam desinatis, amanter oro. Data: Calend. Octob. 1597.
IENAE,

Vester in Domino

Georgius Mylius D.



PROLOGVS
APOLOGETICI.



Um puerilia partim sint, & planè nugatoria, partim vanissima, quæ primis aliquot pagellis de colloquio Vuerbergensi refert D. HOFMANNVS, quæq; tum de sua, tum de aliis etiam nonnullis personis ab eodem recensentur: missis istis omnibus, & in suum locum tempusq; sepositis, realia, quæ vocantur, & doctrinaria duntaxat tractabuntur, idq; ita planè sine omni personarum strepitu, ut partium ipsis etiam nominibus silentio involutis, causa cum causâ, res cum re, ratio cum ratione pugnatura sit, accusatione semper D. HOFMANNI personam & causam representante: Apologetico MR LIV M cum suâ innocentia referente, idq; in iis duntaxat, quibus MR L I I confessio vexatur, capitibus. Quod benè & feliciter vertat Altissimus.

B

CAPVT



CAPVT PRIMVM
DE SACRAMENTO
COENAE.

Accusatio.

I.

fol. 60.



Aber disputatio illa Vitebergæ Anno 88. habita de Signo & Signaculo, thesi 3. Signi vocabulo Sacramentū ipsum significatur, ejusdemque conditio & natura describitur. Item thesi 8. Sacramentum cum signum appellatur, totius Sacramenti conditio exprimitur. Hoc stante, quid quæso dimicatur cum Sacramentarijs, qui in signandi natura, Sacramentorum naturam etiam **TOTAM** contineri existimant? Ego nisi Sacramentarius audire velim, istud profiteri non ausim.

2. Quis Calvinista non amplexabitur istam definitionem, quæ thesi 5. ibidem ponitur, Sacramentum est signum divinum, quo justitia fidei obsignatur. Quod si ex illa juxta thesin 43. argumentandum mihi sit, Quis quid salutem & justitiam fidei non obsignat, in censu Sacramentorum propriè non est habendum: tum Sacramentum ab infidelibus acceptum, Sacramentum esse nega vero, & fidem ejusque obsignationem ad substantiam Sacramenti, juxta Calvinistarum opinionem, retulero.

3. Sic cum signum & signatum conjuncta esse necessum

sum sit, ut signorum natura sit integra: si cum accusato dicturus sim, quod habet ibidem thesis 37. In Coena Domini signatum est ea ipsa, de qua Iohan. 6. agitur, spiritualis manducatio: intelligens quivis dicturus esset, me non sentire cum Luthero, qui spirituales manducationem non ad substantiam Sacramenti, sed ad usum seu fructum eiusdem refert: quin potius colludere cum Calvino, qui fide, per quam fit spiritualis manducatio, Sacramentum confici asserit, in idemque indignos, quippe fide vacuos, integro Sacramento participare negat.

4. Rursus Anno 93. in disputatione de S. Coena itidem habitâ, partis primæ thesi 17. hæc verba ponuntur: Cum circumcisio foedus appellatur, hoc figuratè fieri nemo ambigit. Quod si hoc verum est, D. Lutherus, Chemnitius, & alii, meritò in censu eorum habentur, qui se manifestè veritati opposuerunt. Et hoc admisso, jam jam tropum Sacramentarium approbavero, & quid Cinglio & Calvino contradicam, non invenio. fol. 12.

5. Et nunquam probari potest, quod thesi 8. disputationis de signo & signaculo positum est, Personalem Unionem duarum in Christo naturarum constare in eum planè modum, quo in Coenâ Sacrà visibili elementorum speciei, invisibilis corporis & sanguinis Domini veritas conjuncta sit. Quibus verbis ego primùm lectis cohorrui. fol. 13.

6. In concione Ienensi de Coena Domini, Anno 92. Vitebergæ excusa scribitur: Si corpus & sanguis Dominicus extra Coenam Sacram participari etiam posse statuatur, supervacaneum fore Sacramentum Eucharistiæ. At verum est antecedens. Monstri ergo instar fuerit, consequens asseverare. ibid.

fol. 19.

7. Immensæ temeritatis est, quod in concione de Sacra Coenâ Vitebergæ habitâ scribitur, in prædicatione verbi divini, non fieri per fidem essentiae corporis & sanguinis Dominici participationem: sed beneficiorum duntaxat, & meriti Christi fruitionem. Quod planè horrendum dictu viderur, cum Christus Ioh. 6. de illa participatione dicat: Amen, Amen, dico vobis, nisi comederitis carnem Filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, vitam non habebitis: præcipue cum verborum istorum perspicuitate victus Calvinus, opinioni suæ Sacramentariæ, de beneficiorum duntaxat & meriti Christi participatione, nuncium remiserit.

fol. 20.


8. Repetitur autem hæc sententia in concione Ienensi his verbis: Fidem ad nihil aliud, nisi ad verbum & promissionem divinam esse directam, quâ illa firmâ fiduciâ amplexetur, eâdemque sibi satisfieri patriatur. Atqui in Symbolo dicitur: Credo in DEVM Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Fides ergo sibi non satis patitur fieri, nisi Christo ipso sit potita, & per hunc, ceu Mediatorem, etiam Patre & Spiritu Sancto. Et additur in illâ concione, Corporalia bona & essentias ipsas bonorum à fide iam non apprehendi, quam non panis quoudianus eâdem apprehendatur.

9. Et in disputat. Ienensi Anno 93. partis quintæ thesi 21. asseritur, Coenam Dominicam esse institutam, ut carnem Christi manducemus, non fide: sed ore. Atqui Lutheranae Ecclesiæ hæctenus ea fuit sententia, Coenam Sacram institutam esse, ut & ore & fide corpus Christi manducetur, quæ est etiam Formulæ Concordiæ fol. 299. consentanea sententia. Iam verò inauditum dogma infertur in Ecclesiam, Manducandam carnem Christi in Sacra Coenâ, non fide: sed ore.

10. Ejus-

10. Ejusdem disputationis parte primâ thesi 31. habetur, Vsum Coenæ, cum Christus dicit, Hoc facite, esse aliquid extra substantiam Coenæ Dominicæ: Cum tamen extra talem usum & actionem externam, nostra Ecclesia Sacramentum planè nullum agnoscat.

A P O L O G E T I C V S.

 *Vm in his plerisq. omnibus, satis pol multis & gravibus capitibus, reo dica scribatur Calvinismi, vel in sensu, vel in cortice saltem literæ asserti: priusquam ad singula capita seorsim respondeatur, generatim illud monere operæ precium est.*

1. Conciones & disputationes illas omnes, quarum fragmenta hîc ab actore adducuntur, ex professo contra Calvinistas fuisse institutas atque habitas. Et verò ita habitas, ut ne unus quidem auditus sit hætenus, vel Evangelicorum, qui in ullo capite reum minus commode assertæ doctrinæ purioris admonuerit: vel Calvinistarum, qui suæ doctrinæ Sacramentariæ aliquid ab eodem beneficii fuisse præstitum confessus fuerit. Vnum ergo actorem præ aliis, tum sociis fidei, tum adversariis omnibus, *νεῖρεως* & liris materiam ex his rebus captare, affectatæ rixositatis & quæsi odii suspicione carere vix potest.

2. Jam disputatio illa de Signo & Signaculo Vitebergæ habita Anno 88. iis valet præstantissimorum virorum testimoniis, ut præ istorum fulgore, lini fumigantis instar sit unius censorii Catonis morositas. Sufficiat hîc, omissis aliis, solis Facultatis Theologicae Rostochiensis iudicium, de quo ad autorem disputationis,

B

3

nis,

nis, Facultatis illius caput & antesignanus ita scripsit:
D. David. *Admiracione nervosa & succincta tractationis in hac*
Cbytraus. *gravissimâ materiâ, rapti nos, statim primis, quibus disputa-*
tationem tuam accepimus, diebus commoti sumus, ut recu-
di illam nostris typis voluerimus, quò pluribus tractatio
controversa istius methodica innotesceret. &c. Cujus
impressionis etiam exemplaria aliquot simul sunt ad
autorem Rostochio transmissa. Imò res ipsa auctori
sinceritatis suæ testimonium haud obscurum perhibu-
it. Nam & disputationi illi Calvinistæ, qui tum Vite-
bergæ erant, tanto se opposuerunt studio, ut majori
non potuerint; & Calvinismo jam invalescente exin-
de statim præsens captata fuit occasio, autorem ipsum
cum hoc genere disputationum ex Academiâ extur-
bandi. Quod si disputatio ista Calvinismo patrocina-
tur, ubi tum mens, ubi cerebrum fuit Calvinistis, qui
disputationis autorem pro suo tunc non agnoverunt?
Nec refert, quod nomen Calvini aut Calvinistarum
in thesibus ne semel quidem expresse positum legitur.
Arbitrarium enim hoc & ἀδιάφορον est putandum. Et sic
tum ratione temporis tum loci consultum esse, isto
tempore judicatum fuit. In conspectu autem publi-
co silentium hoc disertâ nuncupatione abundè com-
pensatum fuit. Sed ad specialia veniendum est.

I. ΕΓΚΑΗΜΑ

DE TERMINO SIGNI
DE SACRAMENTIS
prædicato.

Duo præcipuè sunt, quæ hîc carpuntur. Prius est,
quod

quod *Signi* vocabulum de Sacramento prædicatur. Alterum, quod notatione istâ facta, Sacramenti conditio & natura describi, imò *totius Sacramenti conditio* exprimi dicitur. Quod nihil aliud sit, quàm in ipsa Calvinistarum castra transitum facere. Respondetur. I. Provocari ad consensum & iudicium Ecclesiæ, quæ omnibus temporibus Sacramenta signorum appellatione insignivit. Testis sit huius rei Augustinus epist. 5. ad Marcellinum, & lib. 2. contra adversarium legis & Prophetarum, cap. 9. qui Sacramenta usitatè appellat sacra signa; & signa, quoties ad res divinas pertinent, Sacramenta vocari inquit. Et lib. 10. de civit. Dei. cap. 5. scribit. Sacrificium visibile est invisibilis gratiæ Sacramentum, h. e. sacrum signum. Sit testis Luthers, Tom. 1. fol. 170 & 205. qui Augustinum imitatus, eadem loquendi forma utitur. Sit testis Philippus, qui in Examine Sacramenta esse Signa disertè edixit; & vetustatis hoc fuisse dictum asseruit: Sacramentum est signum gratiæ. Sit testis Chemnitius Locorum communium parte 3. fol. 167. qui Sacramenta itidem signa divinæ voluntatis erga nos appellavit.

2. Sed prodeat Ecclesia ipsa testis. Hæc enim in Confessionis Augustanæ artic. 13. & in Apologia itidem eodem vocabulo Sacramenta indigetavit.

3. Quin imò prodeat testis ipsa cœlestis veritas, & sacrosancta Scripturarum autoritas. Hæc enim Genesios 17, 11. Rom. 4, 11. hoc ipso nomine Sacramenta insignit. Quodque majus est, in sacris appellationem aliam commūnem vix reperias, qua notentur

Sacramenta : ut ex brutâ cœcitate profectum esse vi-
deri possit, si hæc insolens aut absurda esse notatio cui-
piam videatur, aut naturam Sacramentorum à signor-
um naturâ remotam esse quispiam asserat, quod asse-
rere censorem alibi non piguit.

4. Quod si de Sacramentis rectè vox Signi prædica-
tur: aut in Quid, aut in Quale quid, ut loquuntur Lo-
gici, de iis prædicetur necessum est. Posterius nemo sa-
nus dixerit. Relinquitur ergo prius. Non est autem ta-
lis prædicatio, nisi aut generis atq; differentix de spe-
cie: aut hujus de individuo. Vtrumlibet horum eliga-
tur, consequens fuerit, nihil absolum dici, si Signi vo-
cabulo de Sacramento prædicato, conditio & natura
Sacramenti describi atque exprimi dicatur.

5. Quæ hypothesis ne logicè magis, quàm Theolo-
gicè probari posse videatur, ad penetrabilia causæ veni-
endum est. Vbi tribus potissimum præmissis hypothe-
sibus opus est. Prima, In disputatione de Signo & Si-
gnaculo habitâ, de Sacramentis in genere disputatio-
nem institutam fuisse; non de Cœnâ Domini in specie:
id quod ex fronte ipsâ disputationis patet. Secunda;
Signi vocem aliàs de toto Sacramento, aliàs de parte
duntaxat Sacramenti, visibili nimirum elemento, usur-
pari. Tertia; plurimum differre locutiones istas, cum
dico: Sacramenti *Totius*, seu quatenus totum est, na-
tura explicatur vocabulo Signi: Et cum dico: *Tota* na-
tura Sacramenti explicatur vocabulo Signi.

6. His sic præmissis, controversia ipsa introspiciatur.
Thesis 8. disputationis habet: Sacramentum cum si-
gnum appellatur, *Totius* Sacramenti conditio expri-
mitur. Quid totum Sacramentum disputatio appellet,
thesis illa ipsa in sequentibus ostendit, his verbis:
Quicquid ergo ad substantiam Sacramenti pertinet, ei
tribu-

tribuendum est hoc, quod signet. Et thesis 9. ita habet: Pertinet autem ad Sacramenti cujusque integritatem res non una; sed duplex; visibilis una & terrena; Coelestis altera & invisibilis; quarum non uni; sed utrique Sacramenti nomen propriè convenit, earundemque non uni; sed utrique partes signandi competunt.

7. Quid totum Sacramentum signet, non est obscurum, nempe fructum spirituale, cujusque Sacramenti proprium. Quæ signatio est diversa ab ea, quæ in parte Sacramenti altera substantiali, elemento nimirum visibili, hæret, quæ itidem signum vocatur, & signare dicitur, aut significare; verum non fructum spirituale Sacramenti, qui non nisi toto Sacramento signatur; sed rem tantum coelestem seu invisibilem, alteram nimirum Sacramenti partem essentialem. Thesis ergo disputationis non agit, nisi de signatione totius Sacramenti; seu Sacramenti, quâ totum est.

8. Censura sic hoc dictum excipit, quasi scriptum in thesi fuerit: Sacramentum cum signum appellatur, tota Sacramenti conditio & natura exprimitur. Et hinc Calvinismo hinc patrocinium paratum esse colligit, qui in signandi natura, Sacramentorum naturam *etiam totam* contineri asserat.

9. Trifariam ergò *ψευδογράφημα* censura ista committit. 1. Quia de Sacramento Coenæ sermonem esse disputationi fingit in specie; qui nullus est: sed de Sacramentis in genere. 2. Quia signationem, quæ Sacramentis toti tribuitur, ad partem illa refert. 3. Quia falsi crimen manifestum patrat, pro *Totius Sacramenti* naturâ, ponendo, *Totam Sacramenti* naturam, quasi in conditione & naturâ Sacramenti universâ nihil inesse, nisi signatio statuatur; & sic negetur *προσφορὰ* in signo partiali, elemento nimirum visibili. Vnde securum esset,

C

In

In Coena Dominicâ clemento Panis signari tantum ;
non etiam offerri & exhiberi corpus Dominicum ;
Quod merè esset Calvinianum. Cum quo errore ni-
hil est disputationi illi commune : quæ panem & vi-
num non *σημαντικὰ* tantum ; sed *προσφερόμενα* etiam , & ex-
hibitiva signa rerum cœlestium , tanquam signatorum
suorum , expressè statuit. Cujus rei testis est thesis 16.
quæ signa illa , ex parte sic appellata , symbola nimirum
externa , cum re cœlesti , tanquam suo signato , unita
esse asserit , non *σχετικῶς* duntaxat , h. e. significatione &
mutuo relationis respectu ; sed unione sacramentali , &
sic realissimâ , quæ thesi 17. sequente , Unionis perso-
nalis duarum in Christo naturarum exemplo explica-
tur. Quæ thesis censori adeò non ignota fuit , ut inde
etiam cavilli materiam decerpserit. In tam disertâ ergo
confessione , & apertâ pugnâ adversus errorem Calvi-
nisticum , erroris ipsius suspensionem oppugnatori cõ-
ciliare velle , dubium est , num impotentia sit , an mali-
tia.

10. Hominis totius , physicè considerati , natura de-
scribitur , quando substantia animata , corporea , appel-
latur ; aut Theologicè considerati , si peccato corruptus
esse dicitur. Nam ratione animæ & corporis , quæ sunt
partes hominis substantiales , utrumq. de homine præ-
dicatur. At non tota , sive omnis ejus natura & condi-
tio prædicatione istâ exprimitur. Nam & istic *τὸ λογ-
ικόν* & hinc creationis divinæ nulla extat mentio. Sicut
ergo in his totam hominis naturam & conditionem
malè quispiam dixerit , pro hominis totius , seu quâ to-
tum quiddam est ; natura & conditione : ita in Sacra-
mentis par est planè atque eadem ratio.

11. Si quis hac obtinente hypothesi , Sacramentarios
in nervo

in nervo convinci posse neget: momenta controver-
sæ nondum intelliget. Nam in Sacramento uno quoque
duplex est signatio: (Vnde existit etiam gemina illa Si-
gni & Signati distinctio, quæ à plerisque non satis ani-
madversa, tricas illas quasi inextricabiles in hac con-
troversia peperit) Vna, totius Sacramenti est, quæ fru-
ctum spirituales respicit. Altera partis duntaxat pro-
pria est in Sacramento. Nam quia spiritualia bona,
non caducorum duntaxat elementorum; sed ipsis coe-
lestium rerum, corporis nimirum & sanguinis Domi-
nici, pignoribus obsignantur nobis: res autem hæ coe-
lestes non sunt aspectabiles, aut sub sensum venientes:
rursus signatione opus fuit, quæ elementorum terre-
norum speciei est impressa, quæ hinc potissimum sym-
bola, typi, figure, tessaræ, appellari consueverunt, non
ad signandum usum Sacramenti spirituales, ad quem
signandum sola nimis futura essent humilia: sed ad si-
gnandam rem alteram coelestem, Sacramenti ipsius
partem nimirum etiam essentialem. Verum ita si-
gnandum, non ut absentem; sed ut præsentissimam, &
Sacramentali unione realissimè conjunctam. Vnde si-
gnorum istorum proprium est semper, non *σημαίνειν* tan-
tum, sed & *προσφέρειν*, sive dignus sive indignus sit, qui
his participat. Sacramenta autem tota quanquam
non signant tantum; sed ipsa quoque exhibent signa-
tum suum, spiritualia nimirum beneficia, quorum cō-
ferendorum salutaria atque efficacia organa à Christo
constituta sunt: quia tamen hic effectus à fide usur-
pantium ex divinâ ordinatione dependet; hinc fit, ut
non sint semper *προσφερόμενα*. Iam cum Sacramentariis
est nobis in negotio Eucharistico non de signatiōe al-
terâ posteriori, totius nimirum Sacramenti proprias; sed
de priori.

C 2

Nam

Nam de eo controvertitur, Num signa aut symbola elementaria significant tantum corpus & sanguinem Christi absentissima: an verò presentissima etiam exhibeant. Hic ergò in plurium quæstionum interrogatione, res unius per alteram ita salva est, ut expediri commodè nequeant, nisi nervi quæstionum utrinque accuratè distinguantur.

II. ΕΓΚΛΗΜΑ

DE SACRAMENTI
FINITIONE.

Flagellatur finitio illa Sacramenti, Quà esse Signum (divinum) dicitur, quo justitia fidei obsignatur.

1. Paulina hæc est definitio, idque non ad verbum tantum; sed ad literam usque. An hanc ergo flagellare convenit?

2. Est ea plenissima, constans genere suo proprio, & differentiâ, qualis quidem haberi potest, specificâ.

3. Complectitur denique omnia, quæ in vulgari definitione Sacramenti exprimuntur. Si enim Sacramentum ceremoniam vel actionem esse dicas, à DEO immediatè institutam, verbo & elemento constantem, additamque promissioni de gratiâ, quæ est Evangelii propria, ut sit testimonium & sigillum, quo promissio illa singulis applicetur, & fides in utentibus confirmetur; plenius quidem, sed non plura dixeris, quàm dixit Paulus, qui Sacramentum signum esse ait, quo justitia fidei obsignetur.

*Obiectio
absurdi.*

4. At absurdo impugnatur illa definitio. Si enim vi contrarii sensus colligatur, quod disputationis thesis 43. habet, Quicquid salutem & justitiam fidei non obsignat,

signat, in censu Sacramentorum propriè non esse habendum: concludendū mihi fuerit, Sacramentū ab infidelibus acceptum non esse propriè Sacramentum. Sic ergo veritate & substantia Sacramenti à fide suspensā Calvinismum committi.

5. Si absit cavillandi libido, disputatio illa, quæ affigitur, satis se adversus istam suspicionem munit. Nam thesi 31. sic se explicavit: Sacramenta quisquis percipit, tota percipit. Pendet enim à virtute institutionis divinæ, non ab hominum fide, Sacramenti integritas. Infidelitas ergo urentium, non, ut Sacramenta esse desinant; sed ne utilia sint, tantū efficit: & quemadmodum extra usum Sacramenta esse: sic extra legitimum usum utilia esse desinunt. Non enim interest, cum de Sacramenti integritate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam: sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & per veram fidem. Similia ex Augustino cum habeat disputationis illius thesis 40. cavillo isto supercederi facile potuisset

6. Si modus indicandi urgeatur in verbo obsignandi, magis etiam dilutum & rancidum fit cavillum. Quis enim nescit vulgarem illam definitionum regulam, quam inculcat Aristoteles, Verbis indicandi non actum notari in definitionibus, sed potentiam. Sacramentum ergo licet *ἐνεργητικῶς* & actu externo aut secundo non obsignet semper: *δυναμικῶς* tamen obsignandi habet; & ut hoc præstare possit, divinitus sancitum atque ordinatum est.

I I I. ΕΓΚΛΗΜΑ
D E S I G N A T O C O E N A E
Dominicę.

Carpitur hęc illud, quod disputationis thesi 37. manducatio spiritualis, de quâ Iohan. 6. agitur, Signatum Coenę Dominicę esse asseritur; & in hanc assertionem tale argumentum stringitur:

Signum & signatum simul esse necessum est; alioquin integra non erit signorum natura.

At spiritualis manducatio substantiæ Sacramenti non est conjuncta. Lutherus enim illam non facit partem substantialem Sacramenti, quod Calvinus facit; sed in censu fructus eam reponit.

Ergo signatum Coenę Dominicę dici orthodoxe nequit.

Respondeo. I. In majori ἀμφιβλία est. Nam simul esse dicuntur, vel quę simultaneam in naturâ rerum habent existentiam: vel quę realiter sunt conjuncta. De priori ἀμα εἶναι antecedens majoris verum est. Nam signum & signatum cum sint ex genere τῶν πρὸς τι, quę simul occidunt & simul oriuntur, quamprimùm unum statuitur inesse, alterum quoque esse necessum est, & sic simul esse utraque oportet. Et hoc sensu adverlativa addita tolerabilis est, quâ dicitur, alioquin integram non fore signorum naturam. Pro quâ tamen intelligentior quispiam diceret, Alioquin ipsam etiam signi rationem expirare. Quia signi pars nunquam est signatum, quo integritas illius absolvatur. Hoc autem sensu cum aere dimicabit antagonista.

2. In posteriori sensu τοῦ ἀμα εἶναι major non est κατὰ πάντοτε

ἑαυτῶς, & sic ex particularibus, id est, ex fungis ena-
scitur argumentum. Nam non omnium signorum
proprium hoc est, ut signata sibi conjuncta habe-
ant; sed tantum speciei ejus, quæ dicuntur *προσφερόμενα*.
Aliorum porro signorum, quæ *σημαντικά* duntaxat
sunt, magis propria est remotio, quam conjunctio; sal-
tem quoad sensum.

3. Monstrant hanc distinctionem Signorum exem-
pla ipsa Sacrarum literarum: eandemque scripta pa-
trum haud obscure etiam insinuant. Quò factum,
ut recentioribus scriptoribus ea planè classica facta
sit, Chemnicio præsertim, in libello, qui Funda-
menta sanæ doctrinæ &c. inscribitur, cap. 12. classe
5. argumentorum adversariorum, fol. 619. Item
in libello, qui Formulæ cautè loquendi &c. inscri-
bitur. Ut novum planè sit atque insolens, potu-
isse eam nuper novam atque insolentem videri Ari-
starcho, qui vetera novaque omnia in scrinio pectoris
sui continet.

4. Quoad Coenam igitur Dominicam, Signum &
Signatum, particulariter sic utrumque appellatum (hoc
est, de parte Sacramenti istius essentiali utraque acce-
ptum, elementari nimirum unâ, quæ signi loco est, &
cœlesti alterâ, quæ signatum etiam vocatur) conjun-
cta esse, & conjunctione realissimâ simul illa esse, libens
ter fatemur: & in hac acropoli controversiæ contra
Calvinistas, pedem, si quisquam alius, firmissimè figi-
mus.

5. De Sacramento autem integro vox Signi prædi-
cata, Signatum habet non nisi fructum Cœnæ Domini-
cæ, nempe manducationē illâ spirituales, de qua lo. 6.
agitur,

agitur, quæ ad substantiam Cœnæ neutiquam sanè
pertinet. Signatum verò hoc, quia signi est non
προσφερόμενος sed *σημαντικῆς*,cujus ea est conditio,ut non qui
edit, sed qui credit, signato, id est, fructu spirituali poti-
atur: inde fit, ut simul ista esse, id est, semper conjuncta
esse dici neutiquam possint.

6. In eo igitur causa erroris unico consistit, quod
signandi ratio in Sacramento non nisi una somniatur,
quæ est tamen gemina; cujus discrimen non observa-
tum, non confusione tantum turbat; sed tricus etiam
involvit in hac controversia pleraque ferè omnia.

I V, Ε Γ Κ Λ Η Μ Α

D E P R Æ D I C A T I O N E
F I G V R A T A,

Alia hîc lancinatur disputatio, ea nimirum, quæ
contra Tossanum Calvinistam Heidelbergensem, pro
defensione articulorum Visitationis Misnicae est habi-
ta, cujus parte primâ thesi 17. scribitur: Cum Circum-
cisio foedus appellatur; hoc figuratè fieri, nemo est, qui
ambigit. Hîc torrens lachrymarum fingitur; hîc mon-
tes suspiriorum simulantur: conclamatum est planè:
perit Lutheranismus, qui in debellando tropo Cinglii
extrema quæque tentavit, quem nunc thesis ista ultrò
in Ecclesias nostras invehit, damnato erroris tum Lu-
thero & Chemnitio, tum aliis Lutheranis omnibus.

Mitesce verò, mi Heraclite: salva res est.

I. *ἄγνοια* est *ἐλέγχε* & plurium quæstionum fallacia.
Nam Lutherò contra Cinglium in quæstione tropi
non fuit lis de propositione istâ: Circumcisio est
foedus

foedus: sed de hac: Panis est corpus Christi; quam non tropicam; sed inusitatam esse non tantum cum Lutero constanter sentit disputationis autor, inque eam ipsam sententiam tuendam, eo ipso loco acriter versatur: sed pro eam etiam inter inusitatas retinendam, non atramento magis, quam sanguinis impendio haecenus laboravit.

2. Alia est ergo, de qua Lutherus pugnat, & Lutherani omnes dimicant: atque alia rursus; de qua autor disputationis agit, propositio: ut diversas istas confundere, atque ex confusione ista sincero doctore calumniam facere, non sit candoris Theologici.

3. Esse autem illas diversas, imò diversissimas, ita liquet. In priori illa non disparatum tantum de disparato: sed pars etiam una essentialis de altera praedicatur. In posteriori, non pars Sacramenti de parte; sed fructus Sacramenti (qui non est in partium essentialium numero, sed censu accidentis reponendus) de Sacramento ipso, eoque integro praedicatur: In quo utroque modo praedicandi, qui non videt esse diversitatem, nihil profecto videt.

4. Sacramentalem dici utrumque, ita ut genere eodem participet uterque; equidem causa nulla est, cur quisquam refragetur. Specie interim discrepare utrumque, itidem non negabit, qui veritati bellum non indixit.

5. Priorem illum inusitatum scholae Theologorum nuncupant, quia exemplum ejus nisi unum, in personam Christi, in tota rerum universitate non inveniunt. Posterior cum sui similia non tantum plura habeat in scripturis, sed analogica ratione sortiri etiam possit alia, inusitatus proprie appellari non potest. Restat ergo, ut sit usitatus.

D

Vfi.

6. Usitatus sic sit: prædicatio aut simplex erit, atque propria: aut impropria, sive figurata.

7. Iam non desunt quidem Theologi, qui pro sensu priore obtinendo affatim laborant, & cur id faciant, rationibus suis non contemnendis moventur, præcipue hac, ne nudam duntaxat, & absentis fœderis significationem astruendi, rimulæ quicquam Sacramentariis relinquunt. Qui ut suo sensu fruantur, cum is nihil habeat cum pietate pugnant, per nos minime stare volumus.

8. Verùm non sunt dictatoriæ scriptorum in Theologiâ sententiæ; & hinc præcipue non exemplis; sed legibus, & rationibus judicandum esse, professionis sanctimonia evincit.

9. Cur a prædicationis modum istum ad figuratum magis, quam simplicem referre libeat, rationes in promptu sunt, ni fallor, non invalidæ. De quibus tamen iudicium esto Ecclesiæ.

10. Primum in genere enunciationum usitato, cum species diversæ, aut res disparatæ de se invicem prædicantur, id improprie fieri ex ipsis veræ rationis principiis constat. Quod adeò verum est, ut exemplum contrarium in scripturâ universâ nullum extare refutatio Consensus Orthodoxi fol. 383. affirmet. At sunt omnino species diversissimæ, Circumcisio & Fœdus, quippe differentes principiis agendi, subjectis, formis, finibus, & materiâ. Proprie ergo ut prædicetur una de alterâ, ratio non permittit.

11. Ad hæc nunquam de uno & eodem *συναπόμωσ* prædicatur res, & signum rei. At fœdus & signum fœderis de uno eodemq; circumcisioe scilicet prædicatur. Id ergo non *συναπόμωσ*: sed improprie fieri, cōlectaneū est.

12. Et notandum insuper est, prædicationem tropicam

eam, ad sermonem proprium ab ipsâ scriptura sacra re-
duci. Nam postquam dictum fuit, Circumcisio est fœ-
dus; mox subjungitur, eam esse signum fœderis: quo in
ipso facto, tropum enodare voluisse scriptura videtur.
13. Coeterum hoc posito, ne gry quidem accedit
causæ Sacramentariæ sublevandæ (quod metuunt ali-
qui) in negotio Eucharistico tropum itidem constitu-
enti in verbis institutionis. Ratio manifesta ea est, quia
maxima propositionum utrobique est diversitas. Istic
pars Sacramenti de parte essentiali prædicatur: hîc fru-
ctus & gratia Sacramenti de ipso toto Sacramento. Istic
inuficatus: hîc usitatus prædicandi modus est, quod est
ex iis, quæ sunt hæcenus exposita, satis manifestum.

V. E F K A H M A

DE V N I O N E S A-

cramentali.

fol. 28.

Disputationis de Signo & Signaculo thesi 18. scri-
ptum haberi dicitur, quod ab omni veritate dissenta-
neum sit, Vnionem personalem duarum in Christo na-
turarum, in eum planè modum constare, quo in Sacra
Cœna visibili elementorum speciei invisibilis corpo-
ris & sanguinis Dominici veritas conjuncta sit. Sic ergo
arguitur autor disputationis, quasi partium essentialiû
in Cœna Dominica personalem; aut naturarum in per-
sona Christi sacramentalem unionem statuatur.

Primum iterum hîc candor Theologicus desidera-
tur, id quæ multifariam.

I. Non dicitur istic, Vnio personalis duarum in Chri-
sto naturarum constare, &c. sed hypostasis Christi con-
stare dicitur naturis duabus &c. Differunt autem lo-
cutiones istæ plurimum. Vnio enim non constat con-
junctione naturarum, quasi pars ejus aliqua esset

D 2

dunta-

duntaxat conjunctio; sed est ipsa illa conjunctio naturarum. Hypostasis autem constare naturis suis, cu partibus quibusdam dicitur.

2. Non agitur in thesi illâ 18. de Vnionē aut conjunctiōe absolutē & indefinitē, sed determinatē. Sic enim habent prima thesis illius verba: Conjunctiōis ISTRIVS modum luculenter expresserunt patres Orthodoxi. Δείξις illa relativa ad thesin præcedentem respicit, in qua sic habetur: Iunguntur partes Sacramenti essentialēs, ut unum fiant, non numero, natura, arte, PERSONA &c. sed junguntur VNIONE SACRAMENTALI ex voluntate promittentis. &c. Thesis ergo ista non per affirmativam tantum, sed & per negativam disertē auctoris mentem explicat, Non personalem, sed sacramentalem esse unionem, qua Sacramenti partes sint conjunctæ. Quod si tam diserta explicatio tutum & immunem à cavillatione præstare autorem non potuit; quid quæso tandem aliud poterit?

3. Si urgeatur verba, quibus IN EVM PLANE MODVM constare naturarum unio dicitur in Christo, quo in Coena S. visibili elementorum speciei, invisibilis corporis & sanguinis Dominici veritas conjuncta sit: facilis & expedita est responsio, modi speciem non omnē, sed eam duntaxat isto loco intelligi, de qua istic expresso est tractatio, Realem videlicet. Nam de eo potissimum in thesib. istis laboratur, Non χετικῆν, non significativam duntaxat esse, quæ rei cœlesti, corpori & sanguini Dominico nimirum, intercedit cum elementis, conjunctiōem; sed realem, imò realissimam, perinde ut naturarum in persona Christi (sub alia tamen specie unionis, personalis sc.) arētissima & realissima sit conjunctio. Si enim quærat aliquis, Quam arētissima sit

Etia sit panis & corporis dominici in S. coena conjun-
ctio, rectè respondetur, Quàm sit arcta naturarum in
persona Christi unio. Ex quo tamen responso eundem
per omnia conjunctionis modum esse, nemo nisi per-
peram collegerit. Convenit ergo quidem Unioni u-
trique, personali & Sacramentali una quadam modi
specie, qui realis dici potest: Sed non omni: Qui ergo
sub priori illa specie, modum illis planè eundem esse
dicit: non unde quaque eundem dicit, & apud ingenu-
os homines à cavillo facilè liber est.

VI. ΕΓΚΛΗΜΑ
DE CORPORIS DOMINICI
sumendi uno medio.

Fol. 18.

Flagellatur & concio lenæ habita, in qua Coena
Dominica unicum esse sumendi corporis dominici
medium statuitur, cujus contrarium à censore affirma-
tur.

1. Participationis seu fruitionis vocabulum infidi-
osè auctori concionis impingitur, pro eo, quo ipse usus
est Sumptionis seu acceptionis vocabulo. Nam tametsi
hoc ipsum quoque generalius est, & ad diversos per-
ceptionis actus accommodari potest: *ὀικείον* tamen &
proprium est materiae praesentis, adeò, ut Christus por-
rectis Sacramenti hujus partibus, non dixerit, Frua-
mini, aut Participate istis: sed Accipite, notans a-
ctum externum, quo mediante corporis & sanguinis
sui substantialis fiat sumptio. Magnum autem suæ fa-
naticæ opinionis praesidium fuissent habituri Sacra-
mentarii, si alio verbo, praecipuè fruitionis, usus fuisset
Christus. Frui n. dicimur re quavis, ut *ἐτυμον* ipsum
vocis monstrat, cujus fructum duntaxat percipimus,
essentia ipsa rei longissimè etiam remota.

D 3

Inspe-

2. Inspectis ipsis concionis Ienensis verbis, quæ fol. 10, leguntur, non corpus Christi nude positum esse deprehendetur, negatumve, quod hujus extra cœnam Dominicam ulla sit fruitio: sed sic habere verba concionis cernentur, quod extra Cœnam Domini, substantiale corpus, aut substantia ipsa corporis CHRISTI nobis nusquam offeratur, communicetur, aut à nobis accipiatur.

3. Si ergò hunc sensum auctori concionis tribuit censor, quasi extra Cœnam Domini nullum ex corpore & sanguine Domini usum ad pios redire doceat: de gravissima calumnia auctor protestatur, ut qui jugem nobis esse istorum cœlestium bonorum, pro nobis traditorum, fructum posse ac debere, non ignorat.

4. Sin illud suggillat, quod substantiæ ipsius, vel substantialis corporis Domini accipiendi extra Cœnam, nullum nobis medium esse constitutum asserit: sententiam suam non negat, neque mutat auctor. Verùm pro ea judicanda ad Ecclesiæ judicium provocat, & dum de meliori sententia ab eadem edoctus fuerit, in ea perstat, quam ex Biblicis & Lutheri scriptis hæcenus ille hausit, imbibit, exosculatus fuit, Substantiæ corporis Christi percipiendæ medium solum hoc atque unicum divinitus esse constitutum, Sacram nimirum Synaxin.

VII. ЕТ К А Н Н А

DE EODEM MEDIO,

quod non sit in Verbo,

Fol. 19.

Paradoxi inauditi loco habetur, quod in prædicatione verbi negatur fieri substantiæ corporis, & sanguinis CHRISTI perceptio; sed beneficio-

rum & meritorum ejusdem duntaxat communicatio fieri asserti ur. Et huic dogmati opponitur sententia CHRISTI Ioh. 6, 53. cujus evidentia victus ipse Calvinus, nuncium suæ isti erroneæ opinioni de sola communicatione meritorum CHRISTI remiserit.

Pendet hæc accusatio à præcedente priori, & ex negativa ejusdem resultat. Contra eam verò patrocinium præstat Primùm ipsa scriptura, quæ dilerte non corpus & sanguinem Christi in verbo nobis apprehendenda proponit, sed Christum ipsum verum DEVM & hominem.

2. Iamquamvis Ioan. 6. carnis quidem & sanguinis Christi mentio fiat, imò manducatio etiam & bibitio istorum à Christo inculcetur, quæ sane non fit vulgarissime, nisi in Verbo: certum tamen est, non communiantum Ecclesiæ Orthodoxæ: verùm ipsius etiam Christi interpretatione, metaphorico sensu verba illa accipienda esse de spirituali, quæ fit per fidem, manducatione, Ioan. 6, 29. 47.

3. Ejus verò quæ sit ratio, Augustinus in explicatio- *Tract. 26.*
ne ejus loci docet hisce verbis: Daturus Dominus *in Iohan.*
Spiritus Sanctum, dixit, se panem, qui de cœlo descendit, hortans, ut credamus in eum. Credere enim in eum, hoc est manducare panem vivum. Et paulò post: Hunc cibum & potum, loci tatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia. &c.

4. Planius hæc exponit Chemnicus his verbis: Quando etiam extra usum Cœnæ Dominicæ, fides, *Fundam.*
CHRISTVM DEVM & hominem, qui *fo. 93.*
in Verbo proponitur & offertur, amplectitur & apprehendit, ita ut beneficia ejus, quæ traditione
sui

fol. 95.

De Doct.
Christ.
lib. 3.

sui corporis & effusione sanguinis promeruit, sibi applicet : tunc dicitur spiritualiter manducare carnem Christi, Ioan. 6. Et paulò post, Spiritualis manducatio est fruitio Christi, & omnium beneficiorum ejus, propter cujus ob signationem instituta est Cœna Dominica.

5. Augustinus alibi verbis Ioannis talem commutationem subjungit: Amen Amen dico vobis, nisi carnem &c. Figura est, præcipiens, passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa sit.

6. In Calvino, scelerati facti impudens commendatio statuitur. Nam is ad indignorum manducationem in Cœna Dominica evertendam, ipsam sacramentalem manducationem è medio tollit, dum carnis Christi manducationem fieri absque fide, sine omni plane fide negat. Eam ergo, quæ Ioan. 6. tractatur, cum illa, quæ in verbis institutionis sancitur, unam & eandem esse somnians, Cœnæ Dominicæ, præter nude symbolicam manducationem propriam aliam nullam relinquit. Et quanquam multa ille speciose & plausibiliter de ea, quæ per fidem, unica tum in Verbo, tum in Sacramento fiat, carnis Christi manducatione garrat: summa tamen ipsi eò tandem redit, ut sentiat, Edere carnem & sanguinẽ Christi bibere, ubique esse idem, quod in Christum passum pro peccatis nostris credere, & manere in Domino, atque ipsum in se manentem habere. Quam sententiam ut nos in loco Evangelico Ioan. 6. veram esse agnoscimus: ita in negotio Eucharisticæ Cœnæ proprio prorsus abominamur, *ὁρῶδοξίαν* Lutheranam hac in parte accuratissimè secuti.

VIII.

VIII. ΕΓΚΛΗΜΑ
DE OBJECTO FIDEI.

Iterum παραδοξία objicitur in eo, quod Verbum, *fel. 19.*
ejusdemq, pmissio ita statuitur esse objectū fidei, ut fi-
de corporaliū bonorū nulla prorsus apprehensio fieri
asseratur. Respōdetur. παραδοξίαν autor conciōis nullā
hic agnoscit, neq; eam sibi a quoquā Theologo obje-
ctam esse meminit. Ακριβείαν, qua in refutandā impie-
tate Calvinianā utitur, si persequendam magis, quā
sequendam sibi censor ducit, laudi suæ in eo ne hilum
quidem derogatum autor sentit.

2. Actum fidei, seu τεχνικώτερον loquendo, faculta-
tem fidei trifariam distinguit Augustinus. Nam & De-
us credi dicitur, & Deo creditur, & in Deum creditur,
quæ sunt ita temperatæ facultates, ut semper inferio-
rem includat superior, superiorem inferior minimè
præsupponat: id quod fieri in his consuetum est, quæ
πρὸς ἐν seu ἀφ' ἐνὸς Aristoteles appellat.

3. Iam objectum fidei non est unius etiam & ejusdē
generis. Nam proprium & immediatum aliud est, quod
suo quodam modo πρῶτον δευτικὸν quasi appellari po-
test: aliud mediatum & improprium.

4. Est autem de actu aut facultate fidei non omnis, sed
eā præcipuè sermo, quā in Deum creditur, cum pro-
missio objectum esse fidei dicitur. Et objectum fidei
non quodvis, sic laxè nuncupatum: sed proprium &
immediatum intelligitur, cum promissio ipsi adjungi-
tur.

5. Est ergò sanè quidem fidei res cum Deo, quocun-
que actu illa sese exerat: sed non immediate; verum
Verbo mediante, eoque non quovis; sed ὁρατῶ vel ἀκ-
σῶ simpliciter, si Deus sit credendus: historico, vel res

E externas

externas promittente, ut credatur Deo. Ut autem credatur in Deum, non nisi Evangelio, & gratiæ salutari proprio.

6. Porro & illud verum est, fidem (quamvis primò objectum sibi promissionem Evangelii habeat) in promissione tamen solâ non acquiescere: sed ad ulteriorem finem tendere, nempe ut ad societatem & consortium ipsius beatissimæ Trinitatis credentes evehat, & ut Petrus loquitur, per promissa maxima & pretiosa, divinæ consortes naturæ efficiat.

2. Pet. 1. 4

7. Verùm objecti primi proprietatem, qui volet subjunctorum finium ordine convellere: ex subordinatis opposita faciat necessum est, & subalterna pro contrariis omninò reputet, quod nō potest nō esse *παράλογον*.

8. Sic, exempli gratiâ, panē quotidianum fides quidem non apprehendit, hoc est, non ita habet eum objectum sibi, ut primò & immediatè in eum sit directâ, aut ejus percipiendi sit constituta organum: sed res est ipsi primò atque immediatè cum promissione. Verùm non ita illi cum hac res est, ut istac contenta, cum pane quotidiano negotii porro nihil homini relinquat: sed ita sibi promissionem habet propositam, ut postquam istam credulâ mente hauserit, ad rerum ipsarum experimenta viva hominem remittat, & quem verbo intus pavit, foris pane etiam satiandum utique relinquat.

9. Differunt ergo inter se fidei ipsius in homine, & hominis fide instructi, tum objecta, tum actus etiam atque opera. Nam illius objectum primum atque proprium cum sit verbum & promissio, hanc solam apprehendendo, proprius sese actus ejus exercit, id quod natura ipsa relationis utrobique evincit. Homini autem credenti, bonorum promissorum tam corporalium, quàm spiritualium ingens proposita est varietas,

rietas, quorum diversis partibus, & per diversa organa fit fruitio atq; apprehensio, idq; ab uno & eodem credente homine. Quorum omnium tum objectorum, tum actuum non potest fieri sine magnâ obscuracione doctrinæ Theologicæ confusio, quam à sese autor cōcionis vult esse utramque alienissimam.

I X. Ε Γ Κ Λ Η Μ Α
D E C O R P O R I S D O M I N I C I
sumendi in S. Coena vero & proprio organo.

Arroditur thesis 2. partis quintæ in disputatione Visitatoriâ de Coena Domini, quâ doceatur, Institutam esse Coenam Dominicam, ut manducemus carnem Christi non fide, sed ore. Quo dicto, Lutheranae doctrine foeda committatur abnegatio, quæ in dogmate tali pedem fixerit, Quod non ore tantum, sed fide etiam manducatio & bibitio in S. Coenâ facienda sit: quorum posterius si absit, manducationi incumbat iudicium, quemadmodum tum institutio ipsa habeat: tū formula concordiae f. 299. disertè doceat.

1. O non miserum magis & cœcum, quàm improbum Aristarchum. Nam verba disputationis primùm truncatim refert, quæ plenè recensita sensum veritatis illicò produnt. Sic autem habent: Sacramentum non est institutum, nisi unum, quo carnem Christi datam pro nobis manducemus. Manducemus autem non fide; sed ore, eaq; sic in Sacramento manducatâ, fidem ceu sigillo confirmemus. Duplex verbis istis notatur Sacramenti hujus conditio, quarum prima est, ut sit medium carnis Christi manducandæ. 2. Altera, ut manducatio ista fiat organo oris corporei.

Quarum rerum ut est manifesta veritas : sic verborum
ea est perspicuitas, ut candidum & ab affectu inor-
dinatâ vacuum lectorem hæctenus neminem offende-
rin: Censor autem geminam hanc sententiam confla-
vit in unam.

2. Materię subjectæ status studiosè dissimulatur.
Nam parte illâ seu articulo quinto non de præparati-
one convivarum agitur in sacro isto epulo : sed de or-
gano sive instrumento, quo corporis Domini in S.
Cœna fiat perceptio. Illud autem non esse fidem (ut
Sacramentarii nugantur) sed os ipsum corporis nostri
esse asseveratur. In quâ assertionem, qui Lutheranam esse
ὁρθόδοξον negat, Lutherani spiritus nihil dum agno-
scit. Cato autem censorius ille perinde refert verba i-
sta, quasi in quæstione usus legitimi tractandâ, à dispu-
tatore sint proposita,

3. Crimine tali manifesto sophistica ipsa cumula-
tur. Sic enim Criticus ille verba disputationis refert,
Sacramentum institutum esse, ut manducemus
carnem Christi, non fide, sed ore. Quis verbis istis hoc
modo lectis non cogitabit, disputatoris hanc fuisse
mentem, Hoc sine institutum esse Sacramentum istud,
ut caro Christi non fide, sed ore manducetur? Sic ergo
spiritualis manducatio à disputatore prorsus è medio
tolleretur, errore tanè pestilentissimo. Cujus erroris re-
atum affricare disputationi illi Critista haud parùm al-
laborat.

4. Atqui alienissima est ab autore disputationis,
blasphemia hæc opinio. Testis est articulus ipse ille,
pro quo istic disputator militat, qui disertè habet, Su-
mi corpus & sanguinem Christi nō ore tantum fidei
spiritualiter, quod etiam extra Cœnam fieri potest: sed
cum

eum pane & vino quoque oraliter. Testis est hujus rei
disputatio de Signo & Signato, quam toties flagellan-
dam sibi censor sumptit in c. 37. & præcipue 38. ubi
spiritualis manducatio cum sacramentali conjuncta
esse posse: & verò debere etiam esse, thesi 48. dilertè o-
stenditur.

5. Fœda etiam, & Theologo indigna est sophistica,
quâ Latini sermonis proprietates, vernaculæ interpreta-
tionis periculosa ambiguitate pervertitur. Nam quod
Latine scriptum est, Non fide, sed ore faciendam esse,
cujus gratiâ institutum sit hoc Sacramentum, mandu-
cationem; id de organo solo accipiendum esse, per-
spicuitas Latini sermonis haud obscure docet. Vernacu-
lus autem sermo, præpositionis additamento au-
ctus, non organi tantum: sed præsentiae etiam seu ad-
juncti significationem obtinet. Dum ergo sermo Lati-
nus dicit, Non fide, hoc est, non organo fidei; sed ore,
hoc est, instrumento oris manducationem corporis
Christi in Coenâ fieri; vernaculus sermo a Censore usur-
patus sic intorquet verba disputationis, quasi asserat,
sic ore manducandam esse carnem Christi in Coenâ, ut
fides prorsus ab istâ manducatione abesse debeat. Cum
tamen non à præsentia, sed a sola specie causæ organi-
cæ fides in hoc Sacramento excludatur.

6. Similem in negotio iustificationis sophisticam
Pontificii committunt. Nam dum ab Evangelicis doc-
terur, Fide, non operibus justificari hominem: statim
oggnitur, bona opera prohiberi. At enim cum fi-
dei & quidem soli tribuitur justificatio: non ab omni
ordine causarum, minimè omnium à præsentia ipsâ
excluduntur bona opera: sed à sola ista specie causæ
instrumentalis, quoad nos. Pari modo non fide; sed

ore fit carnis Christi in Coenâ manducatio. Ergone
planè sine omni fide? Mastigia, aures adverte, termi-
nos sermonis animadvertite. Non sine fide: sed non or-
gano fidei, carnis Christi mâducatio fieri dicitur. Quæ
sententia tam nihil habet cum doctrinâ Lutheri pu-
gnans, ut hoc ipsissima Lutheri mens & sententia fue-
rit, qui ut alibi inter κριτήρια, quibus Sacramentarii
dignoscendi sint ab orthodoxis, hoc ipsum retulit, si
negetur ore fieri in Coenâ corporis Dominici mandu-
catio: ita alibi palàm asseruit, oralem corporis Christi
I. 3. Ten. f. 448. b. leu Sacramentalem manducationem, sine spirituali,
tam non prodesse: ut nisi fide & Spiritu idem etiam
manducetur, venenum prorsus, ipsaque adeò mors
sit. Idem de Formulâ Concordiæ est iudicium.

X. ΕΓΚΛΗΜΑ
DE VSV SACRAMENTI
Eucharistici.

Carpitur denique illud, quod disputationis antea
dictæ parte primâ thesi 3 I. usus Coenæ verbis istis: Fa-
cite hoc &c. præceptus esse, dicitur aliquid extra sub-
stantiam Coenæ: cum tamen extra talem usum & actio-
nem, nostræ Ecclesiæ Sacramentum nullum agnoscant.
I. Profectò Andabatorum more pugnat adversari-
us, quid dicat aut scribat, quid pugnet aut impugnet,
non satis conscius. In verbis institutionis gemina actio
est, quæ à Christo præcipitur, unde haud abs re gemi-
nus etiam Sacramenti istius usus constituitur. Prior
externa & communis est, cuius descriptio verbis istis
continetur, Accipite, Edite, Bibite. De quâ actione u-
suque externo Ecclesiastica illa valet regula, Nihil ha-
bere

bere rationem Sacramenti, extra usum seu actionem illam a Deo institutam. Ex cujus regulæ fundamento adversus asservationis, circumgestationis, & similibus Pontificiarum nugarum commenta, præsidium petit Ecclesia orthodoxa.

2. Altera peculiaris & interna actio est, ususque huius Sacramenti, qui verbis istis, *Facite hoc in commemorationem mei*, sancitur.

3. Quod ergo disputatio edixit de alterâ specie usus, interni scilicet, quod sit in parte accidētis, id quod verba, *Facite hoc &c.* planissimè demonstrant: hoc ad priorem speciem usus & actionem Aristarchus ineptissimè refert. Vicissim quod de priori usu & externâ actione regula Ecclesiastica pronunciat: id ad usum & actionem internam *παραλογωτάτως* idem accommodat.

4. Est & in eo crassum *σφάλμα*, quod usum verbis istis Christi, (*Facite hoc ad mei commemorationem*) præceptum, externam actionem indigetat.

5. Crassissimum & planè intolerabile, hoc est, ex penetralibus Calvinismi desumptum illud, quod extralem usum (verbis nempe istis, *Facite hoc &c.* sancitum) Sacramentum nullum agnosci ab Ecclesiâ blaterat. Pendebit ergo non ab instituentis voluntate, sed ab urentis sanctimoniâ, ipsa Sacramenti veritas & integritas. Corruet, pro quâ strenuè pugnatur, indignorum manducatio. Breviter, Calvinismus universus hac sententiâ stabilietur. Egregium pro Calvinismi expugnatorem & Pyrogopolinicum.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM
DE BAPTISMO.

ΚΑΤΗΓΟΡΙΑΣ ΠΡΙΜΥΜ ΕΓΚΛΗΜΑ,
de naturali infantum innocentia &
sanctimonia,

fol. 42.

ANabaptismi labes ex disputatione de abrogatione Exorcismi, auctori aspergitur, quasi qui cum Pelagio sentiat, Infantes naturalem ex utero materno secum in hanc lucem afferre sanctitatem atque innocentiam. Hæc autem ex eo texitur insimulatio, quia ab autore probatur glossæ ordinariæ sententia, super locum Marc. 10, 14. Talium significanter dicit, non, Illorum: quasi dicat, Mores regnant, non ætas. His ergo promittitur regnum cœlorum, qui ex studio habent simplicitatem & innocentiam, quam pueri habent per naturam.

A P O L O G E T I C V S.

1. Si cavillationi studium impenditur, quid ab infestatione liberum erit? Potuit ab hujus erroris suspicionem auctorem liberare disputationis Visitatorix, de Baptismo habitæ, pars sexta eaque ultima, in qua proluxa ipsius erroris istius ab auctore refutatio suscepta fuit. Potuit auctoris innocentiam testatam facere commentarius in Augustanæ Confessionis articulum secundum conscriptus. Patrocinari illi potuit concio Vitebergæ de Baptismo habitæ, si in culpam erroris istius legitime vocandus fuit.

2. Sed perierint sanè ista scripta, aut in Censoris manus &

nus & conspectum nunquam venerint (venisse autem nimis certum est) illa ipsa, quæ allegatur disputatio, idque locis infinitis; locus is ipse, qui adducitur, illa ipsa, quæ flagellatur, glossæ ordinariæ sententia, innocentia testimonium auctori luculentum perhibet.

3. Novatoribus enim Vitebergensibus ipse error hic Anabaptisticus vitio vertitur, quo sine peccati originalis vinculo nasci asseriebant infantes, ut non esset prorsus, quod eis oporteret secunda nativitate dimitti, quam in Pelagio opinionem notat damnatque Augustinus.

*Ad Quod
vult DE-
VM, c. 88*

4. Cumque ad furorem suum palliandum, dicto Christi Marc. 10. abuterentur isti, sed depravato: correctione locus restitutus fuit. Non enim dixerat Christus, quod Novatores Anabaptistici dicebant, τῶν, id est, horum esse regnum cœlorum: quasi ætati ipsi per se beatitudo deberetur: sed τῶν τοῖς τῶν. Quo verbo rectè observato, dari explicatio significantior succinctorque, quàm quæ est à glossatore data, nulla potuit: nimirum perinde id sonare, quasi dictum sit, Mores regnant, non ætas.

5. Iam si sit, qui mores regnare dicat, non ætatem: qui regnum cœlorum promitti asserat his, qui ex studio (non ex ætate) habent simplicitatem atque innocentiam: annè candor ullus patietur, ut istum affirmet quisquam, infantibus salutem ex naturâ polliceri, aut tribuere istis sanctimoniam, quæ coram DEO justificandis valeat? Non equidem arbitror.

6. Atenim, dicet Censor, Simplicitatis tamen fit mentio & innocentia, quam pueri habeant per naturam, eidemque regnum cœlorum promissum esse dicitur.

7. Priori concessio posterius autor negat, & negat

F

quidem

quidem millicies atq; iterum millicies. Gemina n. disertè
ibidem docetur simplicitas & innocentia, morum u-
nas ætatis altera: una, quæ ex studio comparetur; altera,
quæ per naturam habeatur. Pueris ergo quamvis sim-
plicitas & innocentia tribuatur, quam habeant per na-
turam: isti tamen regnum cœlorum promissum esse a-
deò nusquam ab autore dicitur, ut pro contrario hu-
jus istic ex professo disputetur.

8. Iam parabolice C H R I S T V M istic locutum
esse, testimonio Lyrae adducto, autor ibidem affirmat.
Genere ergo simplicitatis & innocentia ætas & natu-
ra si cum moribus & studio participet, satis est: ut spe-
cie sit plane eadem, non est necessum.

9. Promitti ergo dicitur regnum cœlorum, non sim-
plicitati, quæ ex natura atq; ætate est, quamq; habent
pueri, cui quidem ex studio parandæ non est facile lo-
cus: sed ei, quæ in moribus consistit, quæq; studio ac-
quiritur. Cujus sententiæ tam perspicua proposita fuit
ab autore assertio, ut quam censoris invidia elicit, e-
am ne quidem hostium acerbitas depravationem e-
jusdem eruere poterit.

ALTERVM ΕΓΚΛΗΜΑ, DE OPERA-
TIONE Exorcismi.

Fol. 42. Imprudenter, ait censor, à disputationis autore
allegatum esse locum Optati Milevitani, thesi 98. quo
scriptor iste inquit; Hoc operari exorcismum, ut spis-
ritus immundus ab homine depellatur, quod ante la-
lutare lavacrum fieri necessum sit. Additur tamen, mi-
nus rigide σφάλμα hoc urgeri, quia ex incuria haud
dubie hic lapsus autori obrepserit, ex oblivione itidem
ejus, quod ab eodem thesi 80. scriptum fuerit: nempe,
ne omnis æquitatis oblivio ipsi obrepisse existime-
tur. APO-

A P O L O G E T I C V S,

I. Si cum præfente Aristarcho pari æquitate agendum esset, aures admovere jubendus, & per insusurationem talia verba auditurus esset: Est genus quoddam hominum superciliosum, τὰ ὑψηλὰ φρονεῖν, καὶ φρόνιμον παρ' ἑαυτῶ, imò quod solum sapere sibi videtur. Id dum inclinationem patitur religio, & sic hæreleon turbinibus jaçtatur, ut cum periculo ejus assertio suscipienda sit: aut in latus navis feliciter inclinatur; aut velis superciliosi ingenii mirifice contractis, nihil non dissimulat. Cum autem fracta ab aliis est glacies, & in portum navis feliciter adducta; ad littus stans ociosum, ut navigandi peritiam ostendet, remiges & naucleros de facienda navigatione odiose & moleste divexat.

2. Censori sua mitigatio sine præmio remittitur. Ad excusationem enim facti sui ex æquitate ipsa auctori sufficit materia. Papatu antiquiorem esse ritum Exorcismi in Ecclesiâ, id verò unum auctori probandum illic incubuit. Quod dum Cypriani, Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Augustini, Optati Milevitani, aliorumq; patrum antiquissimorum adductis testimonijs ille præstitit: non esse officii sui censuit, in testimoniorum adductorum minutias quaslibet inquirere, sed in propositæ probationis terminis acquiescere.

3. Quod si in Patrum, scriptorumvè aliorum monumentis, incommodius dictum quippiam offertur: candoris Theologici esse auctor persuasum habet, non statim obeliscos figere; sed omnia potius excutere prius, ut commodæ interpretationis aliquid inveniatur, quàm in Ecclesiæ tanta lumina censura à posteris gravior statuatur.

F 2

4. Quod

4. Quod si dicto isti æquitate hæc interpretationis opus fuit, eam sanè autor non neglexit, præcipuè thesi 45. quâ monstratum fuit, istiusmodi dictorum non eum esse sensum, quasi Exorcismo efficacia pellend dæmonia tribuatur: sed quod adumbrare & docere ritus iste statuatur, quid de potestate dæmoniacâ istic fiat.

5. Sed nihil opus fuit Optato interpretationis nostræ beneficio. Nam ipsemet optimus sibi interpres fuit, qui postquam dixisset, Hoc operatur Exorcismus: statim adjecit, Per quem Spiritus immundus depellitur. Non ergo vim ἐνεργητικὴν Exorcismo tributam ille voluit, quâ carent instrumenta, per quæ aliquid efficitur, quæque non agunt, nisi aliundè acta: sed propter usum significandi, cui cum organicis rebus magna intercedit affinitas, mediis sive instrumenti vicem à ritu isto sustineri, innuere Optatus voluisse, judicandus est. Minus jam indignè fert autor, sua verba sibi intorqueri, dicta sua à censore criticari, postquam à supercilio ejusdem ne tantus quidem scriptor tutus esse potuit.

CAPVT TERTIVM,
DE SYNERGIA.

KATHΓΟΡΙΑ.

fol. 49.
50, 59. Σ *wεργείας* error auctori impingitur à Censore, I. ex eo, quod disputationis de Prædestinatione thesi 138. scripserit, Posse homines; (de infidelibus & non renatis sermo est) si velint, credere. 2. Imò posse illos præstare id, quo factò, DEVS haud dubiè fidem ipsis largiturus sit. 3. Quid id autem sit, quod præstare possint, si quærat, ab auctore in eo censu reponi non externam

ternam tantum disciplinam, sed & illud, quod de Berrhoensibus recensetur Act. 17, 11. qui verbum suscepisse cum omni aviditate leguntur. Hoc vero Censor jam conversorum opus fuisse asserit: siquidem verbum prædicatum voluntarie nemo suscipiat, nisi qui à Spiritu Sancto ex nolente volens factus sit. 4. Ad hæc auctoris ea esse mens & sententia, aut quod sit, apparere saltem, perhibetur, quod ab homine prius præstandus sit consensus, cui consentienti demùm à DEO indubitate conferatur fides. Quæ sententia cum doctrinâ Formulæ Concordiæ pugnet è diametro. 5. Denique quamvis non malè scribat auctor, hominem ex propriis viribus verbo assensum præstare non posse: pari tamen cum Pontificiis passu eundem ambulare, in eo, quod hic cum istis sentiat, voluntatem assensus præstandi in potestate hominis esse positum.

APOLOGETICVS.

1. Tria vera, duo falsa continet ista accusatio, quorum illa vocantur in controversiam: horum atrocium orthodoxus nemo quisquam suscipiet: tantum abest, ut pro suis hæc agnoscat auctor. Imò tantum abest, ut ad suam mentem & sententiam ista pertinere auctor agnoscat, ut de his ne quidem per febrim quicquam somniaverit.

2. Nunquam ergo scripsit, nunquam dixit, nunquam sensit auctor, Assensum ex sese afferenti homini non renato, aut voluntatem propriam adjungenti, fidem conferri à DEO, vel ut habet Censorius ille, *Das der Mensch vorher seinen Willen darein geben müsse/ und darnach gebe Gott erst dem Willenden den Glauben.* Hæreticum hæreticorum se fatebitur,

fol. 50.

bitur, de portationē extremam sustinebit autor, si hoc unquam dixisse, scripsisse aut sensisse demonstrabitur.

3. At inquires, Poterant (ut habetur in thesi) si voluissent, credere. Si poterant credere, facultas credendi in ipsis non renatis sit oportet. Et quia voluntas humana præsupponitur fidei, in arbitrio ejus fides poni, haud immeritò colligitur.

4. Violenta utrobique est collectio. Nam verbo Possesse sensum inesse impersonalem nemo non videt mediocriter saltem attentus. Possibilitas ergo simplex duntaxat notatur isto dicto, non facultas aliqua homini inhærens. Quem sensum sine interprete sequens statim ætologia prodit, quâ dicitur, Quia id poterant præstare, quo facto, D E V S fidem ipsis largiturus fuerat. Quod si fidem largiri, D E I opus est: quomodo ea in arbitrio hominum esse à sano quoquam statuetur?

5. Iam non voluntati humanæ fides eodem dicto substernitur: sed ab eâdem, distinctionis expressâ notâ secluditur. Et non à fide voluntas hominis suspenditur, quasi ad hanc primùm eligendam, in illâ sit facultas quæpiam: sed ab eo, quod sequitur, opere, quod præstari ab homine posse dicitur, serio nimirum Verbi divini auditu. Cujus operis voluntas si in per-euntibus esset, quæ esse omninò potuisset: credere sanè poterant, hoc est, possibile erat, ut fidem acciperent, imò certum erat, fidem illis conferendam omninò fuisse.

6. Eiusdem vanitatis est altera cavillatio, quâ velle verbo assensum præbere, humanis viribus tribui ab autore asseritur. Tam enim facultas hoc volendi, quàm

quàm potestas hoc præstandi, ab homine non renato alienissima esse creditur.

7. Vindicavit fidem & professionem suam autor ab istius Synergisticæ opinionis suspicione in commentario Augustanæ Confessionis s. 247. ubi à libero arbitrio removeretur facultas efficiendæ justitiæ spiritualis. Cujus termini complexu, universa spiritualium operum classis, & quicquid ambitu conversionis continetur, intelligendum venire scribitur. Efficientiæ itidem vocabulo non consummatio tantum, seu perfectio horum operum: sed & ipsa inchoatio intelligi dicitur. Quicquid ergo vel ad principium, vel ad medium, vel ad finem actionum istarum efficiendarum facit, in eo voluntati humanæ extra regenerationem, *ἐνέργεια* omnis derogatur. Sit penes ingenua pectora iudicium, an Synergiæ quicquam sit relictum, ubi talis de hoc negotio personat confessio.

8. Quapropter cum ventis, hoc est, cum sui cerebelli figmentis pugnat Aristarchus, productis in medium Formulæ Concordiæ testimoniis fol. 265. 266. 267. 270. 271. 272. Quæ omnia tam non cum iis pugnant, quæ sunt scripta ab autore: quàm non veritas ipsa unquam sibi adversatur. Hactenus falsa affinxit: jam quomodo vera autori vitio veritat censor, videndum est.

9. Sunt illa tria præcipuè. 1. Quod posse dicuntur homines, si velint credere. 2. Quod id posse dicuntur, quo tacto, Deus fidem largiatur. 3. Quod posse perhibentur id, quod præstiterunt Berrhoenses Actor. 17, 17. qui verbum susceperunt cum omni aviditate.

10. Notandum primò, in quibus disputationis terminis sint hæc ab autore prolata, iis nimirum, quibus culpa infidelitatis, & dånatiõis humanæ universa à Deo dimovetur, & hõni ipsi in solidum attribuitur. Itaq; de libero
arbi-

arbitrio istuc non ex professo; sed in alienâ quasi sede ab autore agitur. Sententiam igitur auctoris de hoc loco Theologico, ex tali sede exquirere, relicta eâ, ubi ex professo locus hic tractatus fuit, hoc ipsum grandi suspicione non caret cavillationis, ex proposito faciendæ.

11. Prodet autem se mox in sequenti capite tetra Calvinismi facies, quam in quæstione istâ decidendâ Censor induit, cum de causâ damnationis & reprobationis humanæ quæritur. Quæ larva Calviniana suo loco ipsi detrahetur.

12. Observandum secundo loco illud est, Quid super isto loco, de viribus liberi arbitrii in homine non renato, controversum sit, quid non. Habet autem disputatio, quæ carpitur thesi 136. Hominem nihil sibi posse sumere rerum spiritualium. 2. Non posse ipsum vel gratiam promereri: vel ad eâ capessendâ sese præparare. 3. Verbum ipsum auditum adeò non posse eum efficax in sese reddere, ut ne assensum quidem ipsi præbere queat.

13. Iam cum velle habere fidem, velle verbo assensum præbere, res sint omninò spirituales, & magna nõ tantum ad gratiam præparatio, sed jam ipsa gratia, & conversionis jam factæ effecta: an ratio ulla patitur, ut qui superiora illa ab homine non renato removit, hæc posteriora eidem attribuere judicandus sit? Persuadeat hoc sibi Censor, helleboro, non censoris stylo opus fuisse auctori futurum, si adeò laborasset ex cerebro.

14. Atqui posse tamen dicitur homo, si velit, credere, inquiet ille. Vnde sanè sequi videtur illa, quæ suprâ fuit posita collectio. Iterum respondet autor, *διὰ τοιαύτων*
dicti

dicti spectandam. Non autem eo sensu hoc dicitur, quasi in se vel ex se habeat homo facultatem, & vim credēdi (hęc n. ab homine in præcedenti thesi disertè jam remota fuit) sed eo sensu hoc dicitur, (attende Censor) quem sequens statim habet *ἐρμηνεία προσδιοριστική*, qua sic habetur, Quod homo possit præstare, & in sua facultate & viribus naturalibus habeat id, quo præstito, Deus fidem certò largiturus sit.

15. Patet hinc, ad ordinem divinitus institutum remitti homines: & inter res externas, quibus Deus mediis utitur; & internas, quas per illas solus Deus operatur, accuratè distingui: denique inter ea, quæ à facultate nostra, & quæ à divina potentia atque efficacia proficiscuntur, ritè discerni.

16. Ordo igitur Deo placitus in convertendo homine hic est. Primus à Deo ipso lapis est ponendus conversionis humanæ, idque per vocationem, à mera gratia profectam, quæ expeditur verbo prædicationis. 2. Hanc auditus verbi subsequatur, necessum est, isque non frigidus aut somnolentus: sed serius, & cum studio & meditatione aliqua conjunctus. 3. Huic se, pro suo tamen beneplacito, benedicturum esse promisit Dominus, eo modo, ut sequatur illa, de qua sermo est, hominis illuminatio & conversio.

17. Primi membri confirmationem Apostoli locus illustris habet, quo & invocatio, & fides, & auditus omnis expirare dicitur, si desit prædicationis, si desit missio? hoc est, ea ipsa, de qua agitur, gratuita Dei vocatio. Rom. 10, 14, 15. Qui idem locus Auditum etiam, ordini salvationis manifestè inserit. Tertius gradus, Prophetici testimonii luce splendet, Quomodo descendit imber & nix de coelo, & illuc ultrà non revertitur,

G

titur,

titur, nisi inebriaverit terram, & foecundet eam, & germinare eam faciat &c. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuū: sed faciet, quaecunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Esa. 55, 10. 11.

18. Auditus ergo verbi externus, nimirum is, qui naturali sensu, atq; organo aurium corporeo percipitur, quiq; mentis cogitatu & meditatione comprehenditur, is ipse medium est, quod ordinavit DEVS, per quod in auditoribus verbi Deus per Spiritum Sanctum suum operari, & menti voluntatiq; hominis novos motus afflare constituit.

19. Et quamvis verbo audito tantum abest, ut ex le credere possit homo aut assensum præbere: ut ne id quidem intelligere naturalis homo queat, quippe cui *ἐκ τῆς φρονήματ' τῆς σαρκὸς*, non est nisi *ἐκ θεοῦ εἰς θεόν*, & verbum ipsum, cum his, quæ sunt Spiritus Dei, mera sunt *μωρία*. Rom. 8, 7. I. Cor. 2, 14. quocirca tractu celesti est opus, sine quo ad Christum nemo venit, Iohan. 6, 44. nisi Pater traxerit eum; & hoc intuitu, non nostro auditui, & humano studio: sed auditui, qui à Deo ad discendum conformatus est, hominis conversio tribuitur: scriptum est in Prophetis: Erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Ioh. 6, 45. Esa. 54, 23. Ierem. 31, 34. tamen medio isto externo uti interim Deo placuit, ad vitandos Enthusiasmos, & in gyro obsequii hominem retinendum, figendamque aliquam certitudinis metam, ad quam mentium humanarum volubilitas & fluctuatio in divinis astricta esset.

20. Estque in potestate hominis non renati positum, prædicatum verbum vel cum studio aliquo audire, idque aliquâ indagine mentis proficere, & pro captu humano

mano meditari; vel somnolentius illud audire, atq; obiter duntaxat ac perfunctoriè expendere; vel obturatis auribus, prorsus respuere idem atque averfari.

21. Iam quamvis fiat interdum præter ordinem, ut convertantur aliqui in gradu posteriori alterutro, quo factò testatam facit Deus immensam suam tum bonitatem tum etiam potentiam: cujus rei exempla habemus in Paulo persecutore, Centurione, ad crucem Christi commorante; ministris Pontificum & Pharisaorum Iohan. 7. & similibus: ordinis tamen divini ea est usitata ratio, ut ad conversionem conducatur auditus verbi, non nisi seriò studioseq; in illo versantibus.

22. Negat hoc in potestate hominis non renati esse positum Censor At negat id, quod est tum factorum exemplis, tum manifestarum rationum momentis, tum Scripturarum etiam autoritate probatissimum.

23. Fuit certè in Pythagorâ studium verbi divini, non vulgare, quem Hermippus asserit, multas Hebræorum leges in suam sectam transtulisse, teste Iosepho. lib. 1. contra Appionem. Et cum idem patriâ relictâ, in Aegyptum & Iudæam profectus, & sacris etiam Iudæicis initiatus esse legatur: quî nam hoc citra studium religionis serium factum sit, auctor se non agnoscere, ingenuè fatetur.

24. Testis est Iustinus Martyr in Paraclesi ad gentes, Eusebius in præparatione Evangelicâ, & Theodoretus de Græcorum affectionibus, Platonem ex Hebræorum libris multa in suos transtulisse. Vnde Numenius Philosophus dicere fuit solitus, τί ἐστὶ πλάτων, ἢ Μωυσῆς ἀτιμίζων, & Aristobulus Iudæus ad Philomet. libr. 1. citante Eusebio, dicit, Legem nostram in multis Platō secutus est. Apertè namque in multis diligenter examinasse singula videtur. &c.

Nec desunt, qui persuasum habent, eum hauriendæ sapientiæ gratiâ in Aegyptum profectum, vel Ieremiam ipsum Prophetam audivisse: vel scripturas saltem Propheticas evoluisse. An hoc sine singulari studio factum sit, judicent, quibus aliquid est iudicii.

25. Nicaula regina Aethiopum ab intimis regni finibus, Hierosolymam profecta est, ut Solomonis sapientiam, cujus præcipua pars erat religio, ex Scripturarum oraculis hausta, cognosceret 3, Reg. 10. 2. Paralip. 9.

26. Quanto pietatis & religionis studio flagraverint Magi, ex eo colligi potest, quod ex Oriente maximis itineribus per inhospitas gentes, Hierosolymam profecti, Scripturarum oraculis sese edoceri, & Bethlehemum ablegari passi sunt, ad dona cultumq; recens nato Salvatori præstandum. Matth. 2.

27. De gente Burgundionum refert Socrates l. 7. c. 30. Nicephorus l. 14. c. 40. Cum sub Imp. Theodosio, à vicinis Hunnis gravissimè affligeretur, eam de divino auxilio quærendo consilia cepisse. Verùm cum in variatione sententiarum hærent, cui nam in tantâ gentilium numinum turbâ, sese potissimùm addicerent, venit in deliberationem etiam Christianorum Deus: & is sanè omnium iudicatus est non tantùm potentissimus: sed etiam presentissimus inferendo auxilio suis. Quare unâ mente & voce, uni & soli Christo sese dedidere, à Gallicano Episcopo instituti & baptisati. Sigebertus refert hoc sub annum Theodosii Imp. sextum; Domini verò 433. Regionem hîc magis, quàm religionem fuisse quæsitam, aliquis fortè excipiet. Id quidem inficias nos minimè iverimus: Interim tamen religioni etiam studium aliquod in deliberatione impensum fuisse, facile obtinebimus. Et

28. Et quid est, quod de exemplis in hoc negotio multum laboremus? Rationi ipsi contradicit, & luminis naturæ, a deo quæ; Soli ipsi obloquitur, qui hæc vocat in controversiam.

29. Est enim certè reliqua in homine etiam lapsa notitia naturalis, non de rebus tantum Phisicis & mundanis: de disciplinis atque artibus, in quibus DEVS gratiam sui famam spartit: sed de Deo etiam ipso, quæ ab Apostolo τὸ γνωστὸν ἔθεῖς appellatur. Rom. I, 19: quæ quamvis salutaris cognitionis de Deo nihil habeat, & notitiæ illi, quæ ex Verbo Dei hauritur, collata, tenebrarum potius, quàm luminis nomen sortiatur: rationi tamen & menti humanæ eam lucem affert, ut, quamvis ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum esse sciat, quin & colendum eum, morum quæ honestate serviendum eidem esse non sit nescia.

30. De Deo isto constat rationi humanæ, quod sit is qui regit, qui gubernat omnia, qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordines quæ conservat, terras & maria contemplanis hominum commoda vitas quæ; tuetur, ut loquitur Tullius: qui cum mens sit æterna, boni causa est in natura, ut Platonis habet definitio. Est quæ; nulla gens tam fera, nemo omnium tam est immanis, cujus mentem non imbuerit istæ Deorum opinio.

31. Hujus notitiæ ductum si homines secuti, luminis naturæ vim improbitate suâ non afferant, & ut Paulus loquitur, veritatem in injustitiâ non detineant: fieri nequit, pro eo, quod hominum naturæ ingeneratum est, salutis atque immortalitatis desiderio, quin de DEO divinis quæ; rebus investigandis studium ardens in animis ipsorum emergat, fiat quæ in Platone & Pythagora

thagorâ factum esse docuimus, ut pro captu suo mens
humana de divinitatis essentiâ voluntateque cogno-
scendâ sedulò laboret.

32. Et sunt causæ maximæ, quare Deus etiam post
lapsum velit hanc notitiam de se, & parte quadam le-
gis suæ in humanâ naturâ reliquam esse, nimirum ut
ostendat & arguat peccatum, & regat disciplinam, ut

Tom. 2. Philippus loquitur.

f. 328.

33. Præcipuè eam ordini etiam conversionis huma-
næ subternere Deus voluit, ut cum ex gratiâ obvenire
hominibus pateretur in prædicatione Verbi sui, quod
in religione quavis aliâ casu obtingit, nimirum ut ad
societatem fidei homines vocarentur, non admittere-
tur tantum ab hominibus illa prædicatione: sed & au-
scultationem sortiretur, quodq; lumen naturæ, vim
non passum, religionibus quibusvis impenderet, car-
nale saltem studium, huic ipsi de Deo prædicationi, ex
verbo ipsius factæ, non negaret.

fol. 333.

34. Per hoc medium, inquit Formula Concordiæ,
& non alio modo, visum est Deo, homines ad salutem
eternam vocare, ad se trahere, convertere, regenerare,
sanctificare. 1. Co. 2. 1. Act. 1. 14. Ro. 10, 17. Hæc verbi
Dei prædicationem audire oportet omnes, qui æter-
nam salutem consequi cupiunt. Prædicatione n. Verbi
Dei, & ejusdem auscultatio sunt Spiritus Sancti instru-
menta, cum quibus, & per quæ efficaciter agere, & ho-
mines ad Deum convertere, atq; in ipsis & velle & per-
ficere operari vult.

35. Hoc Dei Verbum, inquit Formula Concordiæ,
homo, etiam nondum ad Deum conversus, nec rena-
tus, externis auribus audire, aut legere potest. In ejus-
modi enim externis rebus, homo adhuc etiam post la-
psum, aliquo modo liberum habet arbitrium, ut ad
cetus

cætus publicos Ecclesiasticos accedere, Verbum Dei
audire, vel non audire, Evangelium audire, & aliquo modo
meditari, atque etiam de eo differere possit, ut in Pha-
risæis & hypocritis est videre.

fol. 640

36. Hactenus progressa hæc doctrina, cum Synergi-
smo nequæ quidem commune habet. Tota n. versatur
in diversi status terminis à quæstione Synergismi. Nam
in hac verus & unicus controversiæ status est, teste For-
mulâ Concordiæ, Quid hominis nondum renati intel-
lectus & voluntas, in ipsa conversione & regeneratione,
ex propriis suis, & post lapsum relictis viribus prestare
possit, quando videlicet Verbum Dei prædicatur, &
gratia Dei nobis offertur: Et quæritur, An homo ad
hanc Dei gratiam apprehendendam sese applicare, e-
am amplecti, & Verbo Dei assentiri possit.

f. 639.

37. Ad hanc quæstionem disertè respondet autor:
Hominem propriis viribus suam conversionem in-
choare, minimè posse: Et licet Spiritus S. prædicatione
Verbi initium faciat, suamque gratiam in verbo homini
offerat: voluntatem mentemque hominis, propriis &
naturalibus suis viribus, nihil omnino, & ne extremum
quidem modiculum, conversionem suam adjuvare, in
eâ cooperari, seipsam ad gratiam applicare, præpara-
re, assensum &c. præbere posse.

38. Libero ergo arbitrio, neque ex toto, neque dimidiâ,
aut ullâ, vel minimâ parte: sed in solidum, id est, simpli-
citer soli divinæ operationi & S P I R I T U S
S A N C T O, conversio, fides, regeneratio, &
omnia, quæ ad illam efficaciter inchoandam & absol-
vendam pertinent, ascribitur.

Quæ

39. Quæ doctrina cum sit sanissima, & hujus confessio in subscriptione Formulæ Concordiæ ab autore facta, Censori cum non sit ignota: si rectè sentiens autor, incommodè locutus maximè fuisset: meminisse Censor debuerat, gravissimè & æquissimè dictum fuisse à Luthero, Sceleratum est, cum noveris pium & sanum esse alicujus sensum, ex verbis incommodè dictis, errorem velle statuere. Quod si sceleratum hoc visum Luthero fuit: sceleratissimum fuerit, ex commodè dictorum depravatione, errorem velle alii impingere.

40. Autori autem quæstio & doctrina non est de eo status momento, quod conversione hominis describitur: sed quid ante conversionem omnem præstare possit & debeat, ostenditur. In qua quæstione, homini non renato qualificationis (termino hoc non ex scholis, sed vulgari usu desumpto, quem Censor contra conscientiam acerbè exagitat) facultatis & virium hoc tribuitur, Quod Verbum DEI admittere atq; audire, pro capru suo illud Berrhoensium more meditari, & in hoc tractando carnale saltem studium exerere homo possit. Quo factò, promissioni suæ in conferenda fide (nisi alia accedant impedimenta) DEVS minimè sit defuturus. Non factò, causa infidelitatis & damnationis sequentis nulla parte in DEO hæreat; sed in hominem ipsum ex solido redundet.

fol. 51. 41. Displicet pars doctrinæ hujus utraque Censori;
Germ. f. & priori quidem ab eo opponuntur ex Formula Con-
266. *b.* cordiæ testimonia aliquot, inter quæ primum est il-
Latin. f. lud, quo dicitur: Scriptura igitur hominis naturalis
642. intellectui, cordi & voluntati omnem aptitudinem,
capacitatem & facultatem in rebus spiritualibus ali-
quid boni & recti ex semetipso cogitandi, intelligen-
di, in

di, inchoandi, volendi, proponendi, agendi, operandi
& cooperandi adimit. Secundum hoc modo recita-
tur: Qui scintillulam aliquam, & desiderium gratiæ di-
vinæ, & æternæ salutis in corde suo sentit, scire debet,
quod ipse DEVS initium illud veræ pietatis, in corde
suo accenderit.

Germ. f.

267.

Latin. f.

643.

42. In utroque hoc allegando testimonio veteratoriè
agit Censor. Prius enim illud non simpliciter in quæ-
stione status non renatorum: sed in quæstione eâ posi-
tum est, quâ quæritur, Quid hominis nondum renati
intellectus & voluntas *IN IPSA CONVERSIONE* *ex fol. 64r.*
propriis viribus præstare possit. Sic enim habent ipsa
verba Formulæ Concordiæ, Declarationem hanc pi-
am pertinere ad statum causæ, in exordio hujus tracta-
tionis propositum. Plurium ergo quæstionum fallacia
à Censore turpiter committitur, Quod est ab eodem
factum etiam, in aliis quatuor ejusdem Formulæ alle-
gatis testimoniis.

43. In posteriori crimen falsi designatur. Nam non
absolutè de quibusvis Formula Concordiæ loquitur:
sed de piis mentibus, qui veram quidem fidem, sed in
magnâ infirmitate habent. His dictum illud Philip. 2,
13. proponitur: DEVS est, qui operatur in nobis Velle
& perficere pro bonâ voluntate. Qua scripturæ dulcis-
sima sententia, omnibus piis mentibus, quæ scintillu-
lam aliquam & desiderium gratiæ divinæ & æternæ sa-
lutis in cordibus suis sentiunt, eximia afferri consola-
tio dicitur Quia certi sint, quod ipse DEVS initium
illud veræ pietatis, tanquam flammulam, in cordibus
ipsorum accenderit.

44. Berrhoënsium factum Act. 17, 11. non facultatis, *fol. 50.*
aut conditionis naturalis: sed jam conversorum

H

opus

opus fuisse, Censor itidem pronunciat: siquidem Verbum prædicatum suscipi à nemine cum aviditate possit, nisi qui à Spiritu Dei ex nolente sit prius factus volens.

45. Scribatur ergo dica Lucae Evangelistæ, qui non scriptum isto loco voluit, quid à Berrhoënsibus jam conversis; sed quid sub ipsum prædicationis ad eos delatæ auspiciū factum fuerit.

46. Reclamat autem opinioni Censoriæ ipsa etiam facti species & qualitas. Nam in scripturis disquisivisse iidem (quippe Iudæi & in Scripturarum lectione pridem versati) perhibentur, an vera sit & certa dictorum fides, quæ ab Apostolo fuerant proposita. Dubitare autem de veritate prædicationis Apostolicæ, num sit conversi & jam illuminati à Spiritu Sancto hominis opus: id quidem credenti nemini potest esse dubium.

47. Latere interim illud patior, quod factō isto peracto demum, credentes esse facti; nec omnes, sed multi duntaxat, quibus factum illud tributum fuit, tales esse facti ab Evangelista perhibentur. Sic ergo sequitur, conversos fuisse illos, priusquam cepissent credere; & conversos fuisse aliquos à Spiritu Sancto, qui tamen credere nunquam ceperint. Quorum absurdorum enormitas, nemini pio & cordato non potest esse manifestissima.

48. Et quid eximium aut insigne quæso futurum esset, quod in Berrhoënsium laudem dicturus eo loco Evangelista fuisset, si conversis hoc tribuisset, quod verbum cum alacritate suscepissent, & dictorum veritatem in scripturis scrutati fuissent? Et qua veritate Thessalonicensibus Berrhoënses hoc nomine anteferre poterat Lucas, quibus Apostolus testimonium perhibuerat,

hibuerat, Quod verbum susceperint in afflictione multa cum gaudio Spiritus Sãcti, ita ut facti sint forma & typus omnibus credentibus in Macedonia & Achaia. 1. Theff. 1, 6. Item, Quod acceperint ab Apostolis verbũ auditus Dei, non ut hominum verbum: sed (quemadmodum & verè erat) ut verbum DEI. 1. Theff. 2, 13. Non autem patitur verbi veritas & ὁμοψυχία, ut in eodem genere facti à Luca Berrhoenses præferãtur Thessalonicensibus, quos Apostolus non solùm Macedonibus: sed tantùm non Græcis universis antecellere dixerat. Restat ergo, ut in diverso genere facti, præcellentis laus, utrivis civitati, à sanctissimis scriptoribus assignata sit.

49. Deniq; cum præter unum Calvinum, vix quicumquam sit interpretum, vel priscorum vel recentium, ne quidem excepto Beza & Tremellio, qui factum istud Berrhoensium, non referat ad ipsum Evangelii apud Berrhoenses primùm ab Apostolo prædicati auspiciũ, & sic non jam conversorum; sed convertendorum fuisse factum sentiat; Censor sibi istum, quem sequatur, interpretem habere, cumque eo suo abundare sensu potest: nobis autem, ut sectemur illum, imperare, aut à nobis impetrare se unquam posse, in animum suum nunquam inducet.

50. Pars altera censoris animadversionis latentem in herba anguem habet. Nam hoc consiliocensura hæc tota instituta est, ut causa infidelitatis & dãnationis à reprobis remota, occulto divinæ voluntatis decreto impingatur, id est, sentina Calvinianæ impietatis in Ecclesias nostras plenis velis invehatur. Ea qualis sit, novi capituli tractatione expediatur.

H 2

CAPVT

CAPVT QVARTVM,
DE PRAEDESTINATIONE
ONE SEVELECTIONE
salvandorum & damnãdorum reprobatione,
& cognatis quaestionibus, quæ sigilla-
tim expedientur.

I. KATHOPIA DE LUTHERI DO-
ctrina in hoc articulo.

fol. 47. IN concione Vitebergæ habita de Prædestinatione,
& sic in cathedra ipsa Lutheri, multa dogmata, quæ
Lutherus probavit, damnata sunt.

APOLOGETICVS.

1. Negat hoc autor concionis διαρρήδην, & sibi pro as-
ferenda B. Lutheri doctrina omnem istic pugnam fu-
isse affirmat. Damnata sunt autem istic multa Calvinii
dogmata.
- fol. 46.* 2. Notandum verò, unde ista Censoris accusatio or-
tum ducat. Scribit autem, *à grè le ferre*, Calvinismi
odioso nomine plurima à nostris gravari, infensa que
reddi.
3. Iacta est hæc alea: Patet jam, qui latet in herba an-
guis. Nimirum hæc censori mens est, dogmata non
pauca pro Calvinianis damnari, quæ sunt *avto* Luthe-
rana in quibus Luthero cum Calvino rectè conveni-
at. Maacte virtute censor. Sic itur ad astra. Notabunt au-
tem hoc Ecclesiæ Lutheranae de eo Theologo, qui Lu-
theranae doctrinae vult audire *ἡμετέρας*. Huic igitur
mandes, si rectè hanc rem curatam velis. Audiamus
jam ista, quæ sint Calvinolutherana.

I I.

II. ΚΑΤΗΓΟΡΙΑ DE CAUSA REPROBATIONIS,
Absolutâ voluntate DEI, Particulari Electi-
one, & Vniversali promissi-
one.

Cum Lutherus Reprobationem profundè admo-
dum, atque in abstruso quæsiuerit (utor verbis Censo-
ris, *hat sie tieff gesucht*) perperam fit, quod aliter
hodiè articulus iste tractatur. 2. Cumq̄, idem Luthe-
rus Absolutam DEI voluntatem venerandam atque
adorandam esse statuat, quæ à Formulâ Concordiæ et
iam non quidem scrutanda; sed non neganda interim
esse docetur: cur illa quæso in disputatione de Præde-
stinatione, lenæ habitâ, repudiatur? 3. Cum non sit
committenda inter se Vniversalis promissio Evangelii
& particularis Electio, si quidem citra contradictionē
stare utraq; simul potest: perperam fit utrinque, vel si
propter illam hæc quoq; cum Hubero statuatur uni-
versalis: vel si propter hanc cum Beza istæc asseratur
particularis. Quod utrumque est à D. Mylio factum
diverso tempore, qui cum primum esset Hubero *ὁμο. fol. 36.*
ψυφ. in asserenda Vniversali electione: tandem par- *38. 74.*
ticularitati promissionum, cum Bezâ, viam sternere *fol. 47.*
non erubuit.

APOLOGETICVS.

I. Quoniam Lutheri allegatione digitum Censor in-
tendat, expressâ alicubi mentione factâ libri, de Servo *fol. 46.*
Arbitrio, haud obscurè ostendit. In abstruso ergo quæ-
sitam à Luthero fuisse reprobationem innuit, dum ad
occultam voluntatem & absolutam necessitatem ne-
gotium quæstionis hujus ille in libro isto retulit, ex
quo libro palmam victoriæ sibi Calvinistæ in hoc arti-
culo pollicentur. Atqui

2. Atqui loquatur pro seipso Lutherus, qui cum ^{mi-}
nus adhuc imposturas istas fanaticorum, & qua fraude
In Genes. libri istius sui autoritate isti abuturi essent, prævidisset,
cap. 26. in Cygnea illa sua cantione, auditor es suos, multa pri-
f. 354. b. us de DEO revelato & abscondito edoctos, diserte in
hunc modum præmonuit: Hæc studiosè & accuratè sic
monere & tradere volui. Quia post meam mortem,
multi meos libros proferent in medium, & inde omnis
generis errores & deliria sua confirmabunt. Scripsi au-
tem inter reliqua, esse omnia absoluta & necessaria. Sed
simul addidi, quod aspiciendus sit Deus revelatus, &c.
Sed istos locos omnes transibunt, & eos tantum arri-
pient, de Deo abscondito. Vos igitur, qui nunc me au-
ditis, memineritis me de hoc docuisse, Non esse inqui-
rendum de Prædestinatione DEI absconditi, sed ea ac-
quiescendum esse, quæ revelatur per vocationem &
ministerium verbi. Ibi enim potes de fide & salute tuâ
certus esse, ac dicere, Ego credo in Filium Dei, qui di-
xit, Qui credit in Filium, habet vitam æternam, &c.

3. Hæc verba cum sint declaratoria mentis Lutheri,
horum iudicio qui stare noluerit, abstrusæ reprobatio-
nis quæsito, *κρυπτοκαλιβισμὸς* suspicionem ægrè evita-
bit, quantumvis ægrè ferat insimulationem Calvinis-
mi.

4. Est autem plana & diserta Lutheri hæc sententia,
In negotio prædestinationis, uti salutis: ita reprobatio-
nis causam, misso verbo revelato, non esse quærendam
in Deo abscondito.

5. Perniciosum hoc inquit ille esse depravationis
Adamicæ ingenium. Nam ut Protoplasti vetita ar-
bore præ aliis omnibus liberis & concessis delectati
sunt: ita ingenio humano revelatam DEI voluntatem
fasti-

fastidienti absconditam semper allubescere.

6. Hanc sententiam Lutheri secutus autor in disputatione Ienensi, & homilia Vitebergensi, reprobationis causam in ratione particularis electionis explicanda, non refert ad occultum aliquod atque absolutum divinæ voluntatis decretum: sed ad principia illa, quò ea refertur à Scriptura ipsa, & sic à revelata ipsa DEI voluntate, nimirum ad hominem ipsum, ejusdemq; impietatem atque infidelitatem, thesi 108.

7. Et habet thesis 109 ejusdem disputationis, hanc decisivam: Causa ergo particularitatis tota residet in hominibus, teste ipso Domino, Perditio tua ex te Israël. *Ose. 130* Quod si crederent omnes, atq; in fide perseverarent, nihil ex parte Dei obstaret, quin salvarentur. Nunc ordinationi divinæ resistentes, suo & malo & culpa omnes pereunt.

8. Cum intra has metas nos continemus, & ut Formula Concordiæ loquitur, hucusq; in hujus articuli meditatione progredimur, tum in tuta & regia via ambulamus. *fol. 784* Scriptum est enim de hoc mysterio, Perditio tua ex te Israël: tantummodò in me auxilium tuum.

9. Iuratissima est hæc sacratissimæ majestatis divinæ sententia, Vivo ego, dicit Dominus D E V S, nolo mortem impii: sed ut convertatur & vivat. *Ezech. 33, 110* Testatissimum est Patris cœlestis judicium, Qui credit in Filium, non judicatur: qui non credit, jam est judicatus.

10. Ab hac regia via Censor avocaturus homines, profundius & in abstruso quæri vult causam reprobata.

reprobationis, nempe in abstrusâ & arcanâ D E I voluntate, hoc est, pestilentissimam Calvinismi pestem, nostris Ecclesiis, idque sub nomine Lutheri, vult affricare. Quo uno scelere, nescio an gravius in Theologo inveniri possit.

fol. 55.

11. Verba hæc Censoris sunt diserta: Cohorresco, quoties in declaratione articulorum Visitationis Misnica pag. 305. lego, veram & principalem causam, ex quâ fit, ut, quod Christus dicit, Multi sint vocati, pauci verò electi, non esse in voluntate DEI quærendam, sed duntaxat in ipsis hominibus.

12. Nunquam dignum gaudio aut solatio mens pia potest judicare eum, qui se istiusmodi dicti lectione cohorrescere fatetur.

13. Quæ de absoluta voluntate Dei ponit censor, vana sunt. De Arcanâ enim & abscondita DEI voluntate, non absoluta, tum Lutherus, tum Concordiæ formula loquitur.

14. Est autem eximium inter utramque vocem discrimen, in hoc præcipuè negotio. Cumque arcana DEI voluntas suo loco non negetur: ad absolutam tamen voluntatem in DEO referre vel electionem, vel reprobationem hominum, prorsus est *παράδοξον*.

15. De promissione universali, & electione particulari, nulla cuiquam à nobis lis moveretur. Viderit autem censor, quomodo ipse abstrusam reprobationis voluntatem in Deo, eamque absolutam, cum universali promissione Evangelii, & vocatione omnium hominum ad pœnitentiam, seria quidem, conciliaturus sit.

16. Quæ de universali electione dicta sunt aut scripta ab autore superioribus annis, meminit autor. Sed meminit & illud, hæresin non in dicto, aut vocabulo; sed

Sed meminit & illud, hæresin non in dicto, aut vocabu-
lo; sed in sensu esse. Meminit eo tempore illa dicta scri-
ptaq; esse, quo nondum fuit in Ecclesia notum infelix
Huberi dogma: auctori certè fuit ignotissimum. Memi-
nit, sibi cum aliis non paucis sinceris Doctoribus, lo-
quendi modum istum communem fuisse. Memi-
nit denique illud, correctâ linguâ si recti sensus mens
tèeatur, vitio id veri à nemine, nisi *ἡτταίρενάκω*, posse.

fol. 687.

17. Simile quiddam superiori seculo in alia causa
Doctoribus aliquibus sinceris usuenit. Nam in con-
troversia de bonis operibus, ejusmodi phrasés ab ipsis
in explicatione Sacrae Scripturae usurpatas fuisse refert
Formula Concordia, qualibus uti consueverant hi,
qui postmodum de necessitate bonorum operum ad
salutem, & ad salutis conservationem, turbas Ecclesiae
dederunt. Quia verò ante motam hanc controversiam,
locutionibus istis Doctores illi usi fuerant, nec usi eo
animo, quod Papistarum errores confirmare vellent,
sed suo quisq; certo consilio: sinceritatis testimonium
à Formulâ Concordiæ istis minimè abrogatur: sed il-
lud duntaxat sancitur, ut post motas jam de ejusmodi
phrasibus disceptationes, ad præcavenda offendicula
in Ecclesia DEI, locutionibus istis abstinenceatur.

fol. 48.

600.

III. ΚΑΤΗΓΟΡΙΑ ΔΕ VOLUNTATE
Dei occultâ & revelata.

Disputationis prædictæ thesi 60. & 61. distinctio
Lutheri inter voluntatem DEI revelatam & occultam,
memorabilis error Sacramentariorum nominatur.
Cumque Lutherus hac traditâ distinctioe eximium
suae Theologiae specimen ediderit, atq; in eadem car-
do quasi vertatur omnis scientiæ Theologicae, eadem
Superficies literæ S. Scripturae ibidem nuncupatur, &
cum præsumptione prorsus rejicitur.

I APO,

APOLOGETICVS.

1. Quid tanto dignum dabit hinc promissor hiatus?

Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus.

Id quod tribus notatis observationibus manifestum evadit:

2. Euarum prima est de statu causæ. Eum verò pro-
dit disputationis thesis, quæ sic habet: Quæritur por-
rò, Num una sit numero voluntas in DEO de salvandis
hominibus, an multiplex. Resp. autem una esse duntaxat.

3. Nam ut misericordia in DEO non est nisi una, quæ
solâ bene velle salutem hominum DEVS intelligitur; ut
foedus, ut gratia, ut redemptio, ut salus non est nisi una
atque eadem: ita voluntas etiam benigna salvandi non
potest esse nisi una atque eadem esse.

4. Respectus tamen istius voluntatis unius, non esse
unus atque idem: sed geminus, eodem loco monstra-
tur. Conditio item ejusdem gemina esse docetur, rati-
one temporis. Nam abscondita multis seculis cum ef-
set, tandem in plenitudine temporis revelata & patefa-
cta esse in Evangelio dicitur.

5. Et hoc est, quod de superficie literæ garrit censor.
Nam quod superficiem literæ in Scripturâ attinet, the-
sis 61. dicit, inficias iri non posse, quin occultæ volun-
tatis de salute hominum mentio fiat. Rom. 16, 25. Eph.
1, 9. Eph. 3, 9. Coloss. 1, 26.

6. Verum eadem dicta statim illud subjungunt, My-
sterium istud voluntatis divinæ jam esse in Evangelio
revelatum. Voluntas ergo una atque eadem de salute
hominum, quæ ratione temporis, arcana fuit multis se-
culis, revelata tandem in Evangelii prædicatione facta est.

7. Ut igitur aliquid evincat Censor, quæstionis status non
est pervertendus, monstrandumque ipsi est, Duplicem esse in
Deo voluntatem, quæ sit erga salutem hominum affectus.

8. Nam duplicem esse in Deo voluntatem, si consi-
deretur generatim, extra salutis humanæ quæstionem,

nempe arcanam unam, aliam revelatam: id verò non ignorat autor, non negat autor. Et hac à Censore producta, nihil se feriri idem sentit.

9. De salute autem hominum non agnoscit autor voluntatem DEI, nisi specie, seu si ita mavis, numero unam atq; eandem, quæ licet olim fuerit occulta: nunc tamen revelata est.

10. Et nolit sanè autor largiri cuiquam, voluntatis divinæ de salute hominum quicquam nunc esse absconditum. Minimè omniū id cōcedere possit, Esse in Deo voluntatē aliquā de salute hominū absconditam, quæ ab eā, quæ est patefacta in verbo Evangelii, sit diversa.

11. Quicquid n. jam inde ab æterno de salute nostrā voluit, proposuit, decrevit, & aliquot seculorum decursu occultavit Deus: id Filius unigenitus, qui est in sinu patris, nobis revelavit. Ioan. 1, 18.

12. Vnde Apostolus Ephesiis prædicato Evangelio, nihil se subticuisse inquit, quin omne ipsis consilium Dei annuntiaverit. Act. 20, 27.

13. Secunda de Lutheri sensu observatio est. Facit is quidem Deum duplicem, Absconditū & Revelatū, hoc est, geminam ejus ponit voluntatem, abstrusam unam, revelatam alterā. Quid a. utrāq; appellitet, ipsemet exponit. Absconditum Deū vocat, cum cogitationes de Deo suscipiuntur, s̄ aut extra revelationē, ut cū Moses peteret, sibi ostendi faciem Dei: cum quærent Apostoli Act. 1. Num prædestinatū esset, ut hoc tempore restitueretur regnum. Quib. responsum fuit, non est vestrū nosse tempora & articulos, quos posuit pater in suā potestate. Revelatum Deum & voluntatem ejus sic nobis esse propositam scribit, Ego tibi præscientiam & prædestinatiōem egregiè manifestabo: sic faciam, Ex Deo non revelato, siā revelatus, & tamen idē Deus manebo.

I 2

Ego

*In Genes.
c. 26. fol.
353. b.*

Ego incarnabor, vel mittam filium meum. Hic morietur pro tuis peccatis & resurget à mortuis. Atque ita implebo desiderium tuum, ut possis scire, an sis prædestinatus, an non. Ecce hic est filius meus, Hunc audite, hunc aspice jacentem in præsepio, in gremio matris, pendentem in cruce. Vide quid is faciat, quid loquatur, ibi me certò apprehendes.

fol. 775. 14. Eodem modo de DEO utroque, & geminà ejus voluntate docet etiam liber Concordiæ. Nam si quomodo in causâ salutis erga nos affectus sit Deus, cognoscere velimus; ad librum vitæ, qui est CHRISTVS, remittimur, in quo nos certos DEUS reddiderit de mysterio suæ voluntatis, idque ex arcano illo consilio suo per CHRISTVM in lucem produci curaverit, ut publicè prædicaretur. Eph. I. 2. Tim.

fol. 778. I. Ex solo ergo Verbo DEI, per quod nobiscum agit, nosque vocat, dicere ac statuere debemus, quæ sit ipsius erga nos voluntas. Quousque etiam S. Scriptura in revelando divinæ prædestinationis mysterio progredietur, & intra quas metas nos continere debeamus, liber idem ostendit.

fol. 781. 15. De occultâ voluntate sic ibidem scriptum legimus: Accuratè autem discrimen observandum & retinendum est, inter id, quod de hoc negotio expressè in S. literis revelatum est: & inter ea quæ non sunt revelata. Præter illa enim, de quibus hætenus dictum est, & quæ in Christo manifestè revelata sunt, multa adhuc Dominus de hoc mysterio reticuit, & occultavit, eaque soli suæ sapientiæ & scientiæ reservavit. Talia investigare, cogitationibus nostris indulgere, aliquid de iis statuere, aut scrutari nobis non licet: sed toti à Verbo Dei revelato, quod ipse nobis proponit, pendere debemus.

Quod

16. Quod si autem quærat, qualia illa sint, quæ ad voluntatem illam arcanam pertinent, non reprobatio impiorum, & quomodo in causâ salutis erga hos sit affectus DEVS, (hoc enim ipsum in Verbo abundè etiam revelatum est) ponitur.

17. Sed primum Notitia numeri eorum, qui salvantur, & damnabuntur, expressa habetur. 2. Temporis & horæ circumstantia, quam apud se constituit DEVS, quando unumquemq; vocare, convertere, & lapsum rursus erigere velit. 3. Disparitas objectorum & dispensationis, exempli gratia, Cum videmus, quod DEVS verbum suum alicui regno aut ditioni donat: idem verò alii genti non largitur. Item Quod id ipsum ab uno populo aufert: alii verò diutius concedit, & similia.

18. Hæc omnia & singula non substantiam ipsam salutis nostræ concernunt; sed duntaxat circumstantias: quæ arcanæ DEI voluntati in solidum subjecta manent. Quicquid autem substantiam & cardinem ipsum salutis nostræ, partes, causas, & media ad eam necessaria concernit: in his abstrusi nihil retinuit DEVS. In illis ergo voluntatem DEI unam & eandem habens, perpetuò consonam sibi & conformem, quæ est in verbo revelata. Geminam, diversam, contrariam nullam scimus, credimus aut agnoscimus.

19. Tertia & postrema de doctrinâ Sacramentarium observatio est. Hi verò duplicem in Deo de ipsâ salute hominum voluntatem constituunt: quarum Vnâ revelatam, alteram occultam appellant, ut saltem nominibus ex Ecclesia puriore mutuatis, facilius in occultanda erroris sui abominatione imperitis imponant.

20. Illam ergo vocant, quæ est in verbo patefacta *Ioh. 3, 16*
Ioh. 1, 29
Ioh. 6, 51

1. *Johan.* expressaque, ut cum Deus mundum dilexisset, Christus
2, 2. peccata mundi sustulisset; carnem suam pro mundi vitâ
Matt. 11, tradidisset: idemque propitiatio esse pro totius mundi
28. peccatis dicitur. Cum dixisset Christus legitur, Venite
Rom. 11, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Ego reficiam
32. vos. Conclufit Deus omnia sub incredulitate, ut o-
2. *Pet. 3,* mnium misereatur. Non vult Deus aliquos perire: sed
9. omnes ad pœnitentiam converti. Hæc ita quidem fo-
ris sonare in Verbo isti distant.

21. Interim in occulto hanc illi certam fixamque
mentem esse, adeoque decretum immutabile, ab æterno
factum, Quod nolit absolute, ut omnes homines pœ-
nitentiam agant, & Evāgelio credant. Quando ille nos
ad se vocat, non serio ipsum velle, ut veniant homines.
Imò nolle ipsum absolute, ut salventur omnes: sed hoc
ipsi decretum esse, ut non pauci, imò pars hominum
maxima, non ratione peccatorum suorum, nullo incre-
dulitatis & impietatis respectu: verum solo Dei confi-
lio, proposito & voluntate ad exitiū ita destinati sint,
ut prorsus salutem consequi non possint. Quibus ver-
bis sententia istorum relata legitur in Formulâ Con-
cordiæ.

22. Hanc voluntatem duplicem in Deo de ipsâ salu-
te hominum, memorabilem Sacramentariorum erro-
rem autor disputationis appellavit.

23. Quod hoc ergo nomine à Censore flagellatur,
judicium esto penes Ecclesiam, quâ id æquitate factum
sit.

24. Quod Lutheri distinctionem idem ab authore
reiectam esse criminatur, repudiato damnatoque ge-
minæ istius voluntatis in Deo de salute hominum fig-
mento; ἀγνοίαν esse ἐλέγχος & plurium quæstionum

Sophi

Sophisticam, nemo cordatus non intelligit.

25. Vbi porrò Lutherus scripserit, quod scripsisse e-
um refert Censor, Universales promissiones esse vo- *fol. 61.*
luntatis patefactæ: particularem electionem esse vo-
luntatis occultæ, autor sese minime recordari agno-
scit. Et fieri nequit, quin hæc discretissime, & magno
cum declarationis moderamine sint ab eo scripta, si
sunt scripta: non ita nudè ut à Censore factum est,
prolata, ut favori Sacramentariorum commodius ser-
vire queant.

26. Vtraque enim & promissionum universalitas, &
electorum paucitas seu particularitas, patefactæ, reve-
latæ, expressæ voluntatis est. Vtraq; n. disertis testi-
moniis in Verbo Dei traditur. Videtur ergò ὑπερβολον
prorsus esse, quod electionem particularem, occultæ
in Deo voluntatis esse Censor asserit.

27. Quod si revelata voluntate omnes Deus vocat
& vult esse salvos, cujus diversum vult occultâ volun-
tate: an hæc sit ficta contradictio inter revelatum & ar-
canum, secus indicat Formula Concordiæ, quàm est à
Censore pronuntiatum.

28. Nam sic habent libri illius verba: Quod multi *fol. 777.*
sunt vocati, pauci verò electi, ejus rei causa non est vo-
catio divina, quæ per verbum fit, quasi Dei hæc sit sen-
tentia, Ego quidem vos externè omnes voco: at in
corde meo non de omnibus sermò ad salutem vocan- *Arrige*
dis, sed de paucis tantùm cogito. &c. Hoc enim esset *aures*
Deo contradictorias voluntates affingere. *Censor.*

29. Nec Censorem sublevar id quod dicit, Concilio
ationem istius, quam vocat, fictæ contradictionis
inter

inter revelatum & arcanum, DEO non esse impossibile. Ludibrium hoc est, DEO, qui constantissime verax est, & in quem nulla cadit contradictio, contradictionem affingere: & sub absurditate istâ ad omnipotentiam DEI provocare, quasi cum veritate bellum sit in Deo ipsius omnipotentia.

IV. ΚΑΤΗΓΟΡΙΑ, DE FUNDAMENTO,
causa & ordine electionis.

Fol. 48. Locus Apostoli, Rom. 9. 16. Non est volentis: sed misericordis DEI, sic explicatur disputationis thesis, ut de negatâ voluntate, eaque non humana: sed divina intelligendus esse doceatur. Inauditum autem est, Electionem non esse volentis DEI. Peregrinum etiam
Fol. 56. illud est, quod primum & summum principium electionis negatur esse voluntas DEI absoluta. Itē Quod misericordia voluntatem determinare dicitur. Insuper, quod electio, voluntate DEI misericordis constitui negatur. Denique quod huic negotio fides, eaque in hominum facultate aliquo modo posita, adjungitur, & electioni ipsi substernitur, & ab eadem pendere quidem: sed non ut effectum à causâ statuitur. thesis II 4. Cujus contrarium Formulâ Concordiæ fol. 319. habeat.

A P O L O G E T I C V S.

1. Diversæ hinc vellicantur quæstiones, quæ sunt ab autore disputationis piè & commode satis explicatæ. Quarum prima est. An voluntas in Deo misericordis, quâ omnium hominum vult salutem, sit cum electione ipsâ unum quiddam idemque.

2. Negatur hoc ab autore rationibus firmissimis adductis his. I. Quia non sunt ista duo convertibilia. Electi enim

Et enim qui sunt, hos quidem omnes vult salvos DE-
V S. Sed non vicissim, quos vult idem salvos, sunt ele-
cti. 2. Quia diversis utraque constat principiis. Nam
illa quidem ad voluntatem in DEO simplicem refer-
tur atque absolutam: hæc ad determinatam, misericor-
diâ nimirum temperatam. Rom. 9, 16. 3. Denique mi-
sericordiæ voluntas, salutem hominis nudè respicit:
electio modum salutis seu ordinem implicat. Quod in
his dictis candidi & sinceri Theologi culpæ possint,
tâm est certum non invenire ipsos, quàm quod certis-
simum.

3. At Censoris oculus taxanda invenit complura. 1.
illud, quod Apostoli locus ad voluntatem refertur
non humanam, de quâ ipsi sermo est: sed ad divinam.
Quæ est *καὶνοτομία* interpretationis.

4. Esto, à vulgata interpretum explicatione sit dis-
cessum. Cum tamen hæc ipsa neque reprehensa aut da-
mnata sit ab autore: neque in eo, cui altera illa servit,
instituto, quicquam ab analogiâ fidei alienum sit alla-
tum: & vulgatissimum sit interpretib. Scripturæ, unius
& ejusdem loci non unam semper, sed duas & plures
prodere interpretationes, dum cum analogiâ fidei pug-
nans nihil habeant: quid palmarium quæso Censor in
hoc loco obtinet?

5. Secundus obeliscus ille est, qui dicto isti infigitur,
Quod Electio DEI volentis esse negatur.

6. Atqui attendendum est, quo sensu hæc negatio
fiat: non eo sanè quidem, quasi Deus eligat non volens,
aut electio citra Dei voluntatem fiat, quam absurdita-
tem auctori Censor videtur velle impingere: sed eo sen-
su, Quod electionis principium, non referatur ad vo-
luntatem Dei simplicem atque absolutam: sed ad de-

K

termi-

terminatam limitatamve, nimirum ad misericordiam. Non enim electi dicimur, quia tales Deus esse simpliciter voluerit: sed quia misertus nostri, in Christo tales esse ex gratiâ voluit.

7. At hîc tertium veru figitur à Censore. Nam hoc ipsum quoq; *παράδοξον* vocatur, Quod primum & summum principium electionis negatur esse voluntas Dei absoluta: quodq; voluntas Dei à misericordia determinari dicitur, rursusque electio voluntate Dei misereute constitui negatur.

8. Vix à sana mente hæc videntur esse profecta. Si enim non nisi ex Evangelio judicandum est de Electione, in quo nulla nobis cum absoluta voluntate DEI res est: quomodo primum & summum Electionis principium in voluntate Dei absoluta, uti Censor pugnat, reponendum erit?

9. Iam si voluntas Dei simplex cum misericorde nō est eadem, & multa sunt quæ voluntati quidē Dei subjacent, ad quæ non pertingit tamen ejusdem misericordia: an voluntatem Dei, misericordia ejusdem determinari & limitari negabimus?

10. Denique illud carpit, quod thesi 88. Voluntas Dei miserens, electionem ipsam nondum constituere, vel absolvere dicitur; id penè à mente totum exuisse Censorem arguit. Nam suprâ, promissiones Evangelicas, quibus misericordiæ divinæ summa continetur, universales esse: electionem particularem esse, ipsemet professus fuit. Finge verum esse, q̄ hîc idē pugnat, electionē misericordiâ Dei constitui & absolvi. Iā ergo universalis etiam fuerit electio, & *ἀντιθεσι* crassiâ Censor ipse sese confundet.

11. Altera in disputatione Ienensi quæstio talis est:
Num

Num electio sit absoluta, an verò ordinata. thesi 82.
Respondetur autem ordinatam omninò esse, quæ con-
ditio ipsam etiam definitionem Electionis ingredia-
tur. Ordo autem ejus is esse perhibetur, quod à Deo
electi esse in Christo perhibemur. Cum Electioni A-
postolus subjungit vocationem: vocationi justificati-
onem, quæ non est nisi ex fide: justificationi glorifica-
tionem.

12. Cum aliter pungere quæstionem istam censor
non possit; commate partim, partim calumniâ eam pe-
tit.

13. Scomma illud est, quod de autore dicit, super
voluntate Dei (eâ nimirum quam Censor absolutam
dicit) eum animo gravius paulò affici. R. Et verè non
immeritò.

14. Ruunt fundamenta omnia doctrinæ Evangeli-
cæ: fathiscit universum redemptionis & salutis nego-
tium. frigescit omnis & consolationum & exhortatio-
num materia: verbi ipsius prædicati vis omnis & *ἐνεργεια*
expirat, ubi voluntati isti absolutæ locus in hoc nego-
tio ceditur.

15. Calumnia illa est, quod fides in potestate & viri-
bus hominis aliquo saltem modo quæri & reponi ab *fol. 60.*
autore, Censor asserit. Ejus dicti vanitas patet ex su-
perioribus.

16. Tertia illa quæstio est, quæ in disputatione dis-
cutitur, Pendeatne à fide hominum electio: an verò fi-
des ab electione. Vtrumq; autem suo modo & diver-
so respectu commodè dici posse asseritur. Illud qui-
dem non sub respectu causæ impulsivæ, aut meritoria:
sed duntaxat sub respectu conditionali. Hoc verò,
non ut effectum à causâ: sed ut subordinatum ab ordi-
nato.

17. Divexatur hinc à Censore illud, quod de causâ & effectu dicitur, & audax pronunciatum appellatur, eidemque illud oggeritur, quod in Formulâ Concordiæ, Electio, causa esse dicitur, quæ nostram salutem, & quæ ad eam pertinent, procuret, efficiat, juvet, promoveat.

18. Atqui hoc iterum nodum est in scirpo quærere. Nam operari & efficere dicitur Electio, quod propter Electionem & per eandem Deus efficit atq; operatur. Perinde ac si creato Doctore, eruditio ipsius hoc fecisse dicatur, quod propter eruditionem ejus fecit is, qui insignia ipsi Doctorea contulit.

19. Calumnia hinc iterum est, quod oggannit Censor, fidem prævisam pro Causâ Electionis à nostra parte statui, & illud suggillat, quod intuitu fidei electi esse à DEO homines dicuntur, cum in homine fidem cerne-
re DEVS non possit, nisi à seipso collatam.

20. Fingere hoc est controversias, & ignem fodere. Nam cum Censori, nisi planè cæcutienti, ignotum esse non potuerit, quod ab autore disertè scriptum est thesi 15. Ob prævisam fidem, neminem quenquam à DEO electum esse; quâ conscientiam eidem prius illud *παράδοξον* imputabitur?

21. Iam intuitu quidem fidei, hoc est, sub conditione fidei nos à Deo electos esse, haud inficias it autor, quin ibi dem thesi 116. scripserit. Verùm hinc fidem ex largitione divinâ proficisci minimè negatur.

22. Et in hoc quidem ordine rerum, causarumque, quæ ad electionem, justificationem, salutemque hominis pertinent, quamvis nihil scit aut præscit DEVS futurum, quàm quod daturum se decrevit: aliud tamè est præscire: aliud est ex decreto ordinare: Quorum illud ad

lud ad intellectum: hoc ad voluntatem pertinere, ne-
mini non liquet.

23. Nihil ergò obstat, quin prævidere Deus dicatur,
quod ipse solus largiturus est: utroque à diverso des-
pendente principio. Illo quidem à præscientia, quâ
contingentia minimè tollitur: hoc autem à decreto
ordinis, & benignitate voluntatis: utroque interim et-
iam concurrente, sub electione: sed conditione divers-
sissimâ.

24. Sicut autem præscientia non est causa prævisæ
fidei: ita multò minus fides prævisa, causa est electio-
nis, eo quidem sensu, ut ob prævisam fidem eligi, aut *fol. 64.*
electi esse homines dicantur. Quorum alterutrum, vel
utrumque potius, si auctori disputationis tribui posse
Censor putat: aut nihil vidit, cum censuram suam scri-
beret: aut non vidit certè disputationem, quæ se erro-
ris utriusq; culpâ, thesi 127. & 150. disertè liberat.

25. Interim tametsi nemo propter fidem, ac ne qui-
dem propter prævisam fidem quisquam eligatur,
nihilò sanè magis, quam propter eandem justi-
ficatur quisquam; tamen sicuti per fidem cre-
dentes justificantur, ut in aliquo tamen causarum
ordine ad justificationem fides censerì debeat:
ita quamvis ab efficientis; impulsivæ, meritoricæ,
& similium causarum ordine discluditur fides, eaque
prævisa, in electione: à complexu tamen omnis causæ,
præcipuè conditionis ordinatæ, sejungi eadem nullo
modo potest.

26. Quemadmodum ergo Rex quispiam ad pere-
grini hominis filium infantem adoptandum non qui-
dem movetur obedientia & virtute filii: adoptat ta-
men eundem sub conditione utriusque, qua non
præstita, adoptionis voluntas, ex mera benignitate cõ-

cepta in contrariam etiam vertitur: ita Deus, rerum omnium conscius, ac præsciens, idque ab omni æternitate, prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei per IESVM CHRISTVM, & elegit nos in ipso ante jacta fundamenta seculi, ut Paulus loquitur Ephes. 1, 4. 5. non quidem propter fidem (meræ enim misericordiæ impulsus iste fuit) sed tamen sub conditione fidei, quam proinde in nobis esse necessum est. Cæterum causa ipsa electionis tam non est in nobis quærenda, quàm non est damnationis causa quærenda in Deo, à quo abest illa maximè.

27. Quod si pensi habeatur illud unum, quod vulgata dicitur regula, Electionis causas esse easdem, quæ sunt Iustificationis: negotium hoc universum ita evadit manifestum, ut de eo etiamnum controversari inter Theologos, auditu sit sanè indignissimum.

28. Quod si quærat, Quo sit ergo loco in negotio isto prævisio, & quorsum istius fiat in præsentia causa mentio, quam silentio regi satius erat, quippe offensionem nonnullorum obnoxiam, quò planè videntur tendere aculei, qui sunt à Censore in hanc doctrinæ hujus partem fixi: in promptu est responsio.

29. Nempe adjuncti necessarii non partis essentialis loco pars hæc in finienda Electione ponitur. Essentiam rei scire cupis? Deus est, qui ex mera misericordia, in Christo servatore, elegit, & ad salutem æternam prædestinavit credentes, & in fide perseverantes. Adjuncta nosse desideras? Facta est hæc electio ab æterno, ante condita mundi secula: Electio certissima est, & nunquàm excidit. Firmum enim stat fundamentum Dei, habens hoc sigillum, Novit Deus, qui sunt ejus &c.

30. Iam quia Scriptura ipsa hanc partem doctrinæ hujus peculiariter nobis inculcavit, Rom. 8, 29.

1. Pet

Eph. 1, 5.

2. Timo.

2, 19.

Rom. 11, 7

1. Pet. 1, 2. necessariam esse adjuncti istius considerati-
onem, admonuit. Nam cum præscientia Dei, & præ-
visio extendatur ad omnes creaturas, tam malas, quam
bonas, & sic non ad filios tantum Dei, & electos: sed
iplos damnatos etiam, & Diabolos: & universas utro-
rumque actiones: scriptura peculiarem, & quasi spe-
cialem quendam actum Dei notatura, electioni præ-
scientiam adjungit, ut hujus singularem in hoc nego-
tio vim innuat.

31. Taceo infelix Huberi certamen: quo quia uni-
versalis statuta est, proprie sic dicta, electio: hoc autem
invecto dogmate, in confuso quasi, & incerto posita
fuit finitissima ista Dei actio: furori isti nervus haud
mediocris incisus fuit, dum adjuncta hujus no-
tatione, peculiarem & distinctam esse, à confusa u-
niversalitate mysterii hujus rationem, luculenter com-
monstratum fuit.

V. E T K A H M A D E E L E C T O R V M
finitione.

fol. 630

In ipsa Lutheri cathedra, damnata est ab homilita
Ienensi ea, quæ est propagata à Luthero & Brentio, e-
lectorum definitio, quæ sic habet, Electi vocantur ta-
les homines, quos Deus (ex mera gratia) ex multis ho-
minib. & præ aliis peculiariter delegit salvandos. Pro
qua definitione talis alia commendatur probaturque,
Electi vocantur tales homines, qui gratia oblata
dignè utuntur &c.

A P O L O G E T I C V S.

1. Ex subjecta materia semper dictorum quorūvis sensus
ab æquis

ab æquis & candidis lectoribus petitur. Agitur autem isto loco in explicanda Christi gnome Matth. 20. Multi vocati, pauci electi, ex professo de absoluto electionis decreto, quo ex ipsa voce electionis & electorum Calviniani talem in Deo voluntatem de salute hominum comminiscuntur; quæ plurium hominum salutem ab æterno noluerit, quam eorum, qui salvantur tandem, quiq; electi sic verè appellantur. Electio ergò cum misericordia Dei ipsis æquè latè patet, imò idem quiddam atq; unum est: & quia particularem illam esse certum est: ex hoc fundamento, promissionum & misericordiæ Divinæ universalitatem impiè sublatam volunt: Electos appellantes, quos peculiari gratiæ voluntate solos Deus salvari voluerit; cæteris absolutæ voluntatis placito, non impietatis cujusquam intuitu, ita reprobatis, ut nullus ab æterno affectus aut motus voluntatis in animo Dei de salvandis ipsis fuerit.

2. Grammaticam hanc esse ipsius vocabuli significationem, homilista in concione sua asserit. Nam mulier poma in foro emptura, quæ usui sibi esse novit, seligit: cæteris repudiatis, quæ ab ipsa non emuntur, etiam nummis instructissima. Similem in humano genere factam esse à Deo sequestrationem jam inde ab æterno, Calvinistæ mentiuntur.

3. Hæc à Theologia significatio vocis istius in hoc negotio aliena esse docetur. Non enim ita electi in Sacris nuncupantur, præcipuè in loco isto Evangelico, quasi plures salvos esse ab æterno Deus absolutè & simpliciter noluerit.

4. Quin imò, si misericors in Deo spectetur voluntas (posita nimirum Calvinistarum hypothese, Quod æquè latè pateat Electio & Misericordia Dei) tot fore dicantur

tur

tur electi, quot sunt homines, hoc est, universalem fore electionem: quia nimirum salvos omnes velit Deus, velitque illud sermō.

5. Cujus dicti probatio ex Evangelica petitur parabola Nam ut paterfamilias singulis penè horis in forum prodeat conductum operarios in vineam suam: ita ad societatem regni sui à Deo vocari omnes, vocarique sermō, ut ex voluntate Dei non sit electorum à reprobis petenda distinctio, & sic ex grammatico vocis significatu, in Theologia electorum ad salutem nō sit etiam finitio depromenda.

6. Vnde nam igitur petenda aliorum? Homilita dignam gratiæ collatæ usurpationem, & salutarem bonitatis divinæ collocationem, hoc est, fidei debitum obsequium, ejusdemque constantiam assignat.

7. Notandum verò. I. Non in schola, vel auditorio Academico: sed in templo, & ad vulgus verba homilitam tum fecisse. Quo loco non ex præceptis Logicis: sed ad captum auditorum sermonem formari, si Censor nondum intelligit: inconsideratè facit, si prius ipse, quàm didicerit, carpere alios & perstringere sibi permittit.

8. Tum illud observandum, homilitam non in methodica articuli explicatione: sed in loci Evangelici enarratione istuc versari. Ad quem locum dum interpretatio ipsa est attemperata, (de quo judicium esto penes omnes piè literatos) non interpretes magis, quàm autor ipse parabolæ pungitur, dum interpretatio ista virgulæ Censoriæ flagro percutitur.

9. Denique minime à priori: sed à posteriori duntaxat, Electorum ista descriptio deducitur. De quo ductu considerationis non praxis tantum illa Theologica præ-

L

ca præ-

ea præcones Verbi admonet: sed filium etiam ipsum Tractationis parabolicæ, totaq; adeò instituti à Christo sermonis ratio eodem nos remittit.

10. Iudicent autem pii omnes, utrum verius de Censore suspicari liceat. Nam dum nullum ferè non caput doctrinæ Calvinianæ in hoc articulo, contra publicam Ecclesiæ nostræ confessionem, sibi defendendum sumit: utrum hoc ab ipso vel ex conducto & composito cum adversa parte factū: an à mero aliorū Theologorū odio, sumptique supercilii impotentia profectum sit.

VI. K A T H O P I A D E I N D I S T I N C T A
Dei erga homines omnes miseratione.

In disputationis sæpe iam allegatæ thesi 46. & 47. dum tractatur locus ille Mosaicus Exod. 33, 19. & Rom. 9, 15. Misereor cuius misereor, & commiseror, quem commiseror, perperam negatur Deus ipse distinxisse inter miserandos.

A P O L O G E T I C V S.

1. Magis magisque Censoris se prodit Calviniana in hoc articulo sententia, & cum eadem vertiginose mentis cæcitas.

2. Supra universales esse Evangelii promissiones Censor ipse non difessus fuit. Stante hoc, cum universalem itidem esse misericordiam Dei sit necesse: quomodo idem jam inter miserandos distinxisse affirmabitur? Nisi ad consuetum & cum Calvino commune sibi receptaculum, Voluntatis occultæ & revelatæ, Censor se recipiat: ne quidem in speciem habeat, quod contradictioni suæ hic prætexat.

3. Quod si inter miserandos ipse Deus distinxit: con-

consequens est, ut aut sine miseratione, aliquorum tamen sit miseratus: aut misericordia sua non omnes sit dignatus. Quorum illud rursus ἀντίφασιν: hoc impietatem manifestam & palpabilem respicit.

4. Rectissime ergo negatur Deus distinxisse dicto isto inter miserandos, quod Calvinistę Ecclesiis nostris obijciunt. Nam à misericordia sua mortalium neminē exclusit Deus. Quod si diversum detur: veritas dicti alterius non confisteret. Conclufit Deus omnes sub incredulitate, ut omnium misereretur. Rom. 11, 32.

5. Duo autem præcipue sunt, quæ dicto isto notari videntur. 1. Deus verè, seriò, atq; ex animo à se curari miseros homines, quorum omnium misereatur, ostendit. 2. Non ex meritis humanis, aut aliqua προσωποληψία pendere: sed ex mera sua benignitate hoc profuse cunctis testatur Deus, ut mortalium misereatur.

6. Et hoc est, quod etiam allegato loco isto Mosaico Apostolus spectat. Nā si Deus injustitiæ insimuletur ex eo, quod a parib. distribuatur disparia: respondet Apostolus, Tum cautionem istam injustitiæ procedere, si debiti vertatur quæstio. In conferenda a. salute, non debiti, sed misericordiæ statum agi. Si rursus instetur, Iustitiæ esse, pariter nocentes, pariter plectere: respondet Apostolus, Ita hoc verum esse, ut excepta semper ex parte Dei ipsius sit misericordia, ita ut iustitia misericordiam non excludat. Quærit ergò aliquis, cur non duorū pariter comparatorum, deleratur uterq;: respondet Apostolus, Quia Deo sua etiam constat misericordia: Rursus si quæras, cur non acceptetur uterq;? Liberrima inquit Apostolus, Dei est misericordia, quæ se erga homines ita exerit, ut ad testimonium sui reliqui sibi nihil quicquam faciat.

7. Libet hîc aspergere id, quod in autoris commētario

alibi perstringendum etiam sibi Censor sumpsit. Nam ad verba Rom. 11, 32. Conclufit Deus omnes sub incredulitate, ut omnium misereatur, annotârat autor, Particulæ univèrsali, distributionis notam inesse. Non enim de singulis generum: sed de generib. singulorum loqui Apostolum. Qua annotatione extremam hæreseos pestem Censori incurrisse alibi videtur.

8. Ut mendacem, ita criminatorem etiam oportet esse memorem. Si enim in hac commentatione hæresis inest: quomodo erroris itidem perstringitur in præfenti accusatione illud, Quod Deus inter miserandos distinxisse negatur? Duorum enim in contradic-tione non utrumq;: sed alterutrum duntaxat falsum esse necessum est altero existente vero.

9. Est autem illa autoris commentatio ad materiam subjectam itidem accommodata. Nam in comparatione utriusq; populi, Iudaici nimirum, & gentilis, istic versatur Apostolus. Sicut ergo in priori dicti istius membro, nota univèrsalis distributive de utroque populo, non univèrsaliter, hoc est, de generibus singulorum, non singulis generum accipienda est. Quia non univèrsus Populus Iudaicus incredulus fuit, ex quo tum Apostolus ipse, tum alii plurimi credentes facti fuerant, interim incredulitate populi isti generatim incumbente: ita alteri membro pariter vis distributionis inesse dicitur, eo sensu, Non quasi omnes & singuli ex utrovis populo sint in gratia: sed ex utroque tamen aliqui, ex qua interpretatione falsitas statim opinionis ejus refutatur, quam aliqui ex dicto isto conati sunt elicere, dicentes, Omnes homines tandem esse salvandos. Summa hæc est:

Sit bonus interpres: tum nil mala verba nocebunt,

Sit malus interpres: tum nil bona verba juvabunt.

VII.

VII. Ε Γ Κ Α Η Μ Α, DE CERTO NUMERO ELECTORUM, & contingente piorum damnatione.

De numero Electorum certo, thesi 129. in 2. parte disput. de prædestinatione ea sunt proposita, quæ cū Formula Concordiæ fol. 320. §. Et quidem Deus illo suo consilio &c. prorsus pugnant. Rursus ibidem thesi 124. habetur, Numeri certam finitatem eventu fidei metimur, nec à voluntatis divinæ proposito, suspendimus. Quod pugnat cum eo, quod habet Formula Concordiæ f. 319. Nihilominus illud *παράδοξον* est, Quod præscientia Dei super nudo eventu, quasi super fortuna fundatur, & insuper præscientia inefficax in ipsa fide fingitur thesi 127. Præcipuè illud novum & peregrinū est, quod ibidem thesi 119. ponitur, Improbos fortuito damnari. Nam tametsi culpæ humanæ additur mentio: tamen aut est contradictio (quia ideò fortuito non damnantur, quia sua culpa damnantur) vel si id cum fortuito stare debet: tum culpa non est ordinaria, & regularis causa damnationis. sed causa per accidēs. Quo proposito damnatio etiam foret eventus per accidens, non regularis & intentus. Summatim, fortuna novum idolum erigitur.

Α Π Ο Λ Ο Γ Ε Τ Ι Κ Ο Σ.

I. De priori quæstione sic mussitat Censor, ut quid illi mentis sit, Oedipo divinatori difficile sit assequi. Si certum electorum numerum negat, ne secum quidem ipse consentit Censor, qui particularitatem electionis tueri nequit, quin finitum terminatumq; aliquid concedat, nec Deum credere omniscium; quin numeri Electorum sinat esse consciu m. L 3 2. Si

fol. 77.

In Lat.

Ex fol.

774.

In Lat. f.

773.

fol. 82.

2. Si ab autore negari eundem asserit, talpa cæcior aut impudentia ipsa impudentior fuerit, cum istum aliquoties disputatio expresserit.

3. De causa ergo & principio certi & finiti numeri, quia idem litem movet, ea potius expedientur. Primum in numero thesis lapsum esse puto. Nam thesis allegatur 129: quam ponendam fuisse puto 119. Nam in illa nihil de electorum numero: sed fidei conferendæ medio duntaxat agitur.

4. Duo sunt in quæstione numeri 1. finitas. 2. certitudo numeri. Illam non à decreti absoluti abyfso, neque hanc à nudo divinæ voluntatis proposito pendere asserit autor, quæ utraq; negativa insidiosè est à Censore omissa; sed illam quidem ab eventu fidei, hanc à Divinæ omniscientiæ præscientia suspendit.

5. Prius illud negantem Censorem, in castra & societatem suam Calvinus pertrahit: imò cæcitas ipsa in extremam blasphemiam impietatem. Non n. non sunt electi plures quam sunt, quasi Deo plures esse noluerit: sed quia nō credūt plures in filium, teste Christo, Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomē unigeniti filii Dei. Ioh. 3, 18. Et quotquot receperunt eum, dedit illis potestatem, ut filii Dei fierent, credentibus nimirum in nomen ipsius. Ioh. 1, 12.

8. Certa est autem illa finitas numeri, ratione præscientiæ divinæ. Prævidet enim, imò vidit, novitq; Deus ab æterno, quinam essent credituri.

7. Cavillum autem est, quod præscientia Dei super nudo euentu, quasi super fortuna fundari dicitur.

Præsci-

8. Præscientiæ enim à forma sua tribui non potest ætius, nisi præsciendi. Neque super fortuna fundatur præscientia, cum futura præscire Deus dicitur: sed super fundamento omniscientiæ, quod est infallibilis certitudo. Præscit enim & prævidet Deus res, quales sunt futuræ. Quæ si aliæ aliterve futuræ essent, id ipsum prævidisset Deus, non aliud.

9. Fingi etiam in ipsa fide inefficacem præscientiam Censor nugatur. Quam ergo in isto quæso dabit efficaciam respectu fidei? Num largitionem ipsam fidei? Atqui hæc non est à præscientia Dei efficacia: sed à bonitatis, & misericordiæ principio, quam præscientiæ acceptum referre, cælum est miscere terræ, & quadrata rotundis aptare.

10. Dicit Censor, istis repugnare ea, quæ Formulæ Concordiæ f. 319. extent. Sed Scotomiæ vitio turpiter hallucinatur. Nam æterna Dei electio quidem non tantum prævidere & præscire electorum salutem, istic dicitur: sed & causa esse, quæ salutem nostram, & quæ ad eam pertinent, procuret, efficiat, juvet, promoveat. Id quod est extra controversiam positum. Quod autem præscientiæ Dei alia quam prævidendi tribuatur efficacia, idque etiam in ipsa causa fidei: de hoc ne gry quidem istic habetur.

11. Improbos fortuito damnari, insolitum Censori paradoxon videtur. Sed præter meritum: si illud duntaxat observetur, fortuiti voce non notari, nisi solam contingentiam, quæ sit necessitati simplici, & absolutæ opposita, quæque sit cum oppositi facti eventu permutabilis.

Iterum

12. Iterū ergò in Castra Calvinistarum saltum committit qui contingentia hīc negata, damnationem impiorum refert ad necessitatem simplicem. Quo nullum in omni religione dirum magis ac truculentum dogma potest statui,

13. Oggerit Censor auctori primū contradictionem. Si enim sua, inquit, culpa damnantur impii: jam non fortuito damnantur. At ipse sibi contradicit Censor. Quomodo enim contingens non est, quod à propria culpa proficiscitur. Hinc enim culpæ labes est, quod aliter, quàm fit, fieri & poterat & debebat.

14. Imò Censoris plumbea argutia necessitatem simplicem peccatis plerisque omnibus infert. Nam culpa propria designantur pleraque omnia. Si ergo culpa propria contingentiam tollit, necessitate simplice peccabitur. Imò sic peccatum ipsum maxima parte abolebitur. Exiit enim naturam conditionis suæ peccatum, & culpæ reatum amittit, quod necessitate simplice committitur.

15. Nihilo validius est alterum cornuti argumenti membrum, quo dicitur Si culpa cum fortuito stabit, tum culpa non erit ordinaria & regularis causa damnationis: sed causa tantū per accidens.

16. Nisi hīc in vocabulo fortuiti ludit Censor, ut fortuitum appellet, quod casu fit, & temerè, quam significationem philosophicam novit à mente auctoris esse alienissimam, qui contingentiam meram hac voce vult notatam, quod thesis I 19. liquidissimè commonstrat: certè puerilem lusum argumento isto committit. Pendent enim utraque ista à diversissimis principiis: causa quidem damnationis à iudicio & mensura divinæ justitiæ: culpa autem impietatis ab

eis ab arbitrio humanæ voluntatis. Quatenus ergo culpa non ab absoluta necessitate, sed à liberrimo hominis arbitrio proficiscitur, damnatio sanè hominis, quæ divinæ justitiæ decreto culpæ isti destinata est, non est nisi contingens & fortuita. Poterat enim homo non damnari, & poterat sua culpa iudicium damnationis sibi non attrahere.

I 7. Sin remotius illud principium respicias, iudicii divini decretum scilicet, quo constitutum est, ut stipendium peccati, mors sit. Rom. 6, 23. Et qui non credit, iam sit iudicatus. Ioan. 3, 18. sitque iusta horum damnatio. Ro. 3, 8. tum adeò non it inficias auctor, quod fortuita & contingens non sit impiorum damnatio, ut hoc expressè etiam pugnet thesi I 20. allegata in huius sententiæ confirmationem Augustini testimonio, sic habente, vitiorum nostrorum non est quidem auctor Deus: sed tamen ordinator, cum eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur.

CAPVT QVINTVM,

quod habet nonnulla miscellanea.

I. E T K A H M A D E V B I Q V I T A T E Corporis Christi.

Missa sunt mihi Ienâ dictata de Ubiquitate corporis Christi: Item in articulum 10. Confessionis Augustanæ. In quibus ego sanè istiusmodi res invenio, quæ Lutherano nemini unquam in libro Concordiæ, & Augustana Confessione in mentem venerunt.

A P O L O G E T I C V S.

I. Mirum equidem, Ienâ Helmstadium, Theos
M logorum

logorum ad Theologos mitti dictata. A quibus igitur, & ad quos? Puto quod non, nisi ab emissariis: & ad eos, qui seiplos in observatione aliorum constituunt. Nam tenam certè Helmstadio dictatorum quicquam missum esse, nescio an quisquam meminerit.

2. Hinc ergò iudicium fieri potest, uter utri insidias struat, uter alteri litem intentet: uter τὰ ἴδια πράττειν, vel ἑλλοτριεπισκοπεῖν consueverit. Cumq; articulus III. Confessionis Augustanæ A. 90. decimus A. 92. Ienæ sit tractatus: hinc de tempore istius insidiolæ observationis etiam satis constat.

3. Germanorum vulgatum est proverbium, Pestes esse amicitiae & concordiae observatores. Id factò hoc Censoris nimis etiam est restatum.

4. Absit autem à nobis, absit à candore Theologico, ut ad traducendos fratres, fidem facere debeat eorum relatio, aut scriptio, qui emissariam operam locare in re tam gravi non verentur.

5. Quia verò sub nebulâ hîc pugnat Censor, nullo expresso errore, quem dictata Ienensis de Ubiquitate corporis Christi habeant: lectori aliquis de hac re gustus est præbendus.

6. Ne verò leviculum aliquid, aut per incogitantiam fortè elapsum Censori hîc notetur, ea producentur, quæ ille nuper in solenni accusatione, apud Illustrissimum Proelectorem Saxoniae, adversus autorem dictatorum instituta, protulit, & quibus honorum & bonorum periculum creare eidem in animum induxit.

7. Eorum unum ita habet, D. Mylius novam Humanitatis CHRISTI Ubiquitatem introducit. Nam quamvis aliqui dicunt quidem, Sicut Christi Humanitas sit ubiq;: ita esse eandem etiam præsentem in
murogol
Eccles

Ecclesia: id quod etiam posita omnipræsentia necessario sequitur: tamen neminem scimus, qui è converso scripserit, Quod humana Christi natura, sicut in Ecclesia præsentissima est, ita extra eandem ubivis præsens quoque statuenda sit. Quod si verum est, gratia Evangelii, quæ est præsentia Christi in Ecclesia propria, non piis tantum: Ioan. 14. Ephes. 3. sed impiis etiam & infidelibus, quibus non est pars cum Christo. 2. Cor. 6. & sic canibus etiam & porcis extra Ecclesiam communicabitur.

8. Primum ex cerebro hic laborat Censor, dum in simplicis conversionis terminis, enunciatum unum probat, rejecto & improbato altero: quorum utrorumque tamen una semper est atque eadem veritas. Exempli gratia, Si verum est, Hofmannum, sicuti Helmstadii Censor & Aristarchus est: ita esse etiam passim alibi: verum est & illud, sicuti passim alibi Censorem agit, ita agere etiam Helmstadii. Hæc est enim simplicis conversionis ratio, quæ in particulari affirmativa locum habet. In qua si convertens non esset vera: ne conversæ quidem etiam veritas posset consistere. Nondum ergo hic in scirpo quærit.

9. Sed aliud est, in quo cavillandi & calumniandi campum quærit. Nam particulam SICVT arripit, ex qua eam commentatori sententiam affingit, quasi doceat, Christum Humanitate sua in omnibus locis præsentem esse, ea specie & eo modo præsentia, quo est Ecclesiæ, & sanctis suis idem præsens. Hic ille pro negantis sententiæ confirmatione operosam probationem instituit, & alio longè præsentia modo ostendit Christum suis sanctis esse præsentem, quàm quo sit

aliis manuum Dei operibus præsens: Penulam nempe
æstate deterens.

10. Atqui crassus & bardus in figurâ dictionis hic est
paralogismus. Particula enim SICVT nō similitudinis
aut comparandi semper vim habet: sed interdum etiã
copulandi. Quo sensu Sicut & Ita æquipollent parti-
culis, Tãm, Quãm. Qui sensus differens ex materia sub-
jecta semper est eliciendus.

11. Exempli gratia, cum dico, Boni Principis est, sic
ut in bello, ita in pace gubernationem administrare:
non eum sensum fert materia, ut quo apparatu armo-
rum & exercitus præest ille in castris: eodem etiã pacis
tempore Rempublicam pacatam administret: sed tam
istic quãm hîc imperium ipsi competere, locutio indi-
cat, particula Sicut non ad modum rei: sed ad rem i-
psam, gubernationem scilicet, sese referente.

12. Similis est locutionis ejus, quam commentarius
habet, ratio. Id quod Censorem non latuit: imò ne qui-
dem etiam latere potuit.

13. Primum enim non in commentatoris explicata
sententia, & sic in thesi ipsa, verba ista sunt posita: sed
in formatione Ἐκρινόμενος. Dicitur enim κρινόμενος esse
in Helmstadiana controversia, An humana Christi na-
tura, sicut in Ecclesia Christi præsentissima est: ita extra
eamdem ubivis præsens quoq; statuenda sit? Nihil hic
dum de sua sententia asseruit commentator: statum
quæstionis formavit. At novit, novit perbene Censor,
non de specie, aut modo præsentia, sed de ipsa dun-
taxat præsentia inter partes ambigi.

14. Iam ibidem expressè in eadem periodo positum
fuit, controversiam esse de omnipræsentia humanæ
naturæ. Ponendum autem fuisset, Controversiam esse
de modo omnipræsentia, si Censoris insimulationem
non

non ab extrema petulantia & virulentia profectam esse existimandum esset.

15. Adhæc superlativi gradus nota monere ipsum potuit, non de modo rei, sed re ipsa: non de specie: sed genere ipso omnipræsentia commentatori sermonem esse.

16. Quod si ex dictatis Ienâ missis partem modò positam Censor legere potuit: observandum eidem fuerat, quod ejusdem articuli dictatis insertum fuit, de notis certis, quibus præsentia universalis, à speciali præsentia hac ipsa nota prima ac præcipua distincta fuit, quod præsentia universalis subiectum sint loca omnia, relique omnes tam bonæ, quàm malæ. Specialis autem præsentia subiectam sit Ecclesia, eaque tam triumphans, quàm militans. Quod si tam disertè explicataque declaratio immunem à Censoris calumnia servare autorem non potuit: quid in aliis dictis sibi ab isto polliceri possit, non videt.

17. Sed & alterum candoris specimen de Censore annotare libet. In eodem commentario fol. 69. b. inter ceteras Calvinitarum errores, etiam iste recensetur, Corpus Christi tanto locorum intervallo à vobis distare ajunt, quanto cælum abest à terra, utque id nisi in uno loco sit, effici nulla virtute posse, aperte affirmant.

18. Ad hanc objectionem autor commentarii respondet fol. 72 ex diversa consideratione corporis seu humanitatis Christi. Nam vel ex proprietate nature: vel ex dignitate gratiæ atque unionis consideratur. Primo considerationis modo tribuitur illi tum in statu exinanitionis, tum etiam post resurrectionem in statu gloriæ dicuntur ea, quæ cum aliis hominibus, & sanctis ipsis habet communia. 2. Cum verò consideratur Humanitas eadem, quatenus cum Divinitate $\text{\&}\ \lambda\omicron\gamma\omicron\text{\&}$ unita, & à dextris

dextris Dei collocata est, (qua parte cum nemine vel homine vel Angelo quicquam amplius commune habet) conditioni naturæ non subiacere dicitur.

19. Si Diabolo ipsi in conspectum hominum procedendum sit, fatendumque, an in tam luculentam, & apud orthodoxos omnes trita responsione vellicare quicquam possit, fortè *ἀδυναμίαν* suam fatebitur.

20. At Censor illud invenit, quod est nimis horrendum, Duplicem à commentatore veritatem, definitionem & essentiam corporis Christi constitui : imò talis carnis manducationem in Coena Domini ab eodem fingi, quæ nostræ carni ratione substantiæ non sit similis, aut consubstantialis.

21. Primum non de corpore Christi speciatim ibi sermo est: sed de Humanitate Christi, cuius non est ea planè cum corpore ipso ratio, ut cum eodem semper sit permutabilis.

22. At partem nominat commentator, quâ Humanitas cum nemine vel Angelo, vel homine quicquã amplius commune habeat. Humanitatem ergò ipsam intelligit, & sic ab aliorum hominum substantia eandem distinguit.

23. Mirum verò, non illud etiam Censori obrepisse acumen, ut corporeos à commentatore Angelos fingi dixerit.

24. Quin imò, qui partem dicit commentator, quâ Humanitas Christi cum nemine vel homine, vel angelo quicquam commune habeat. Humanitas ipsa non intelligitur: siquidem pars totum ipsum esse neutiquã potest. Alioquin sic scõitura esset oratio, Quâ parte humanitatis, Humanitas Christi cum nemine quicquam commune habet. &c.

25. Insuper sic habent commentarii verba, Cum verò
con-

consideratur Humanitas **EADEM**. Vnius ergò & ejufdem Humanitatis per essentiam, duplicem esse dicit non substantiam, aut essentiam: sed considerationem duntaxat. Ex qua duplicem velle elicere Humanitatis essentiam, nimis stolidum est.

26. Quapropter pars intelligitur, non substantiæ ipsius, aut Humanitatis: sed conditionis atq; dignitatis, proximè in textu præcedentis, cujus consideratio partem etiam alteram distinctionis ibi traditæ constituit.

27. Quatenus ergò cum Divinitate ξ λογος unita hypostaticè, & à dextris DEI collocata est Humana Christi natura: hac parte dignitatis, hac, inquam, conditionis parte (non autem substantiæ ipsius) nihil habet natura illa Christi humana commune amplius vel cum hominibus, vel cum Angelis. Nam teste Apostolo, ad neminem angelorum (multò minus hominum) unquam dixit Deus, sede à dextris meis. Hebræ 1, 13.

28. Ex ungue leo cognosci vulgò dicitur. Novit Censorem, qui unum atq; alterum istiusmodi exemplum cognoscit. Si sibi, suæq; personæ nollet: saltem ordini Theologico, saltem illustri corpori Academiae Iuliae, saltem Illustrissimo Principi suo parcere deberet, ne tã putidas, tãq; indignas Theologo calūnias effūderet.

2. ΚΑΤΗΓΟΡΙΑ ΔΕ ΣΟΛΥΤΙΟΝΕ ΥΝΙΟΝΙΣ
personalis tempore mortis Christi.

Mense Septembri A. 93. scriptum est ad me ex Fol. 73.
Turingia, in disputatione publica dictum: idemq; postea propugnatum Ienæ fuisse, Divinitatem triduo mortis Christi, separatam à corpore ipsius fuisse.

APOLOGETICVS.

I. Iterum patet Censoris πολυπραγμοσύνη, καὶ ἀλλοτριότης πιστοπία. Sub qua indignè lanè cum autore disputati-
ONIS

onis agitur, si quidvis comminisci, atq; effutire sine teste Censori liberum est.

2. De unione animæ corporisq; naturali, & Humanæ divinæq; in Christo naturæ unione personali quæstionē fuisse, autor meminit, assertumq; illa soluta, hanc ἀδιάλυτον à primo ipso factæ Unionis momento mansisse, mansuramq; in æternitatem omnem.

3. Fieri potuit, ut hoc non sint assecuti aliqui: aut quia una vice, per temporis angustiam, uberius explicari nō potuit, aliqui sint sinistri quippiam suspicati. Ea v. quæstio dieb. parū multis post in disp publica ita ventilata, excussa q; fuit, ut cui de ea scrupulus remaneret, ne unus quidem reperit⁹ fuerit. Si contrariū, vel diversum censori notū esset, probationib. & documentis ageret: neq; ita leviter rem aspergeret. Sed novit illud Laconis, Calumniare audacter, semper aliquid heret.

3. Ε Γ Κ Λ Η Μ Α Δ Ε Π Ε Ρ Ρ Ε Τ Ο Ι Σ novationibus errorum.

Quoniam animadverto, D. Hunnium & D. Mylium, ac complices eorundem, quotiescunque unam vel alteram philyram typis edulant, semper aliquid novi dogmatis proferre; gravis coniectura est, eos in his, quæ coram tradunt, quæq; typis non con redant, multa eundem generis emittere, quæ in meam notitiam non veniunt.

APOLOGETICVS.


Scommata & dicteria nil moramur. Ceterū in eo loco consistimus, atque ea conditioe vivimus, ut latere nostra neque possint, si velimus: neque velimus etiam, si possunt. Testis est Censoris oculus, an latere rerum nostrarum possit quippiam, quis ille intentissimè ab annis benè multū observat: An latere velimus eas, testabuntur ea, quæ à nobis publicè prostant, minuta quidem Censoris iudicio; se d'at nobis magna, quia & Ecclesiæ probata, & cum eiusdem usu evidente sunt coniuncta. De iniuria in criminatione καυδοξίας, aut καυδοσυμπίας potius, testis iudexque esto Ecclesia, quam ego quidem meo loco hic compello, ad quam provoco, & ne iudicii sui sententiam in obscuro latere diutius hac in parte patiat, per societatem fidei, per salutis communionem, quæ nobis intercedit, etiam atque etiam obtestor. Quod si diversum visum fortè eidem fuerit, iudicis supremi, extremiq; iudicium in hac causa, uti ferre me posse conscientia letissima sentio; ita cum patientia expectaturum me esse, solenniter protestor. Cui sit laus, gloria, bene dictio & honos sempiternis seculis. AMEN.



7/ 2101

x2210870

a



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



3h 2126 3

3

APOLOGETICVS
GEORGII MYLLI D. ET
PROFESSORIS IENENSIS,

*Adversus ea, quibus fides & doctrina eius sædis
criminationibus impugnatur, in*

DANIELIS HOFMANNI D. ET
PROFESSORIS HELMSTADIANI

σηλιθτινη, scripta quidem ad ministros Hallenses:
sed more suo ita sparſa, ut in manus Calvinistarum
perlata, nuper Serveſtæ (ut fert fama publica) in
contumeliam Eccleſiarum, Formulam
Concordiæ approbantium, typis
evulgata ſit:

*Ad diſputandum publicè propoſitus. In qua diſputati-
one ſub ipſius autoris præſidio, exercitii
cauſa, respondebit*

M. ARNOLDVS STAPPENBECCIUS

Straleſundeniſis Saxo: Et

M. NICOLAVS REBHAN

Francus.

*Die 20. & 21. Octobris. Ille quidem die priori, de
duobus primis: hic autem poſteriori, de ſe-
quentibus in hac materia ca-
pitibus.*

I E N A E

TYPIS TOBIAE STEINMANNI

Anno cl^o l^o III^o C.

3